



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Sectio II. De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

liter efficienter per Sacramentum tollitur reatus pœnæ æternæ; sic juxta inæqualem Sacramenti virtutem, & dispositionis disparitatem, videtur pœna æterna à Deo commutari in dispari temporalem. Hucusque Herinx satis plausibiliter in re incerta.

218. **Objectio.** Si dixeris; non placet hæc doctrina; quia negat certam pœnam temporalem, quæ tamen videtur omnino necessaria, ut postea sciat Deus, quantum restet cuiuslibet solvendum, si tali vel tali pœnalitate satisfaciatur.

**Solvitur 1.** Respondeo; non negat certam pœnam, magis quàm communis doctrina, quæ affirmat, gratiam infundi juxta dispositionem subiecti, neget certam gratiam: neque determinatio pœnæ magis est necessaria, ut Deus sciat, quantum restet cuiuslibet solvendum, si tali vel tali pœnalitate satisfaciatur, quàm determinatio gratiæ est necessaria, ut Deus sciat, quantum cuiuslibet debeat dare, si tali vel tali dispositione suscipiat Sacramentum: sed sicut unico actu determinavit infundere gratiam inæqualem, secundum inæqualem dispositionem subiecti, aut dispari virtutem Sacramenti; ita quoque unico actu determinavit remittere pœnam inæqualem, juxta inæqualitatem dispositionis, aut dispari virtutem Sacramenti.

219. **Solvitur 2.** Aliter dici posset; Deum per regulam generalem determinasse pœnam temporalem certam pro quolibet peccato, postquam est remissa æterna, quæ indubiè maneret, si pœ-

na æterna remitteretur merè extrinsecè, aut per solam gratiam liberaliter infusam. Attamen quia de facto semper remittitur vel per Contritionem charitate perfectam, vel per Sacramentum; hinc semper diminutio istius pœnæ per aliud decretum, diminutio, inquam, major vel minor, secundum inæqualitatem Contritionis, aut Sacramenti.

Ex quo apparet nullatenus implicare, quòd pœna æterna commutetur per primum decretum in pœnam decennii v. g. & tamen eodem instanti remittatur pœna unius anni per secundum decretum ratione Contritionis, Sacramenti, aut etiam Indulgentiæ.

De cætero certum esse debet, debitum pœnæ æternæ nunquam commutari in pœnam temporalem ita diuturnam & gravem, quin posset commutari in aliam gravioiorem, ut proinde hæc consideratio nunquam remittatur pœna æterna, quin simul remittatur aliquid de pœna temporali, in quam alioquin commutari potuisset.

Atque hæc sufficiant de re; ex se satis dubia, cum dependeat à libera voluntate Dei, de qua nihil ferè certi ex Scripturâ, Conciliis, aut Patribus possumus deducere, sed in multis per modum conjecturæ nobis discurrendum est. Transeamus itaque ad alias res, magis certas, materiam dico; & formam Sacramenti Pœnitentiæ. Pro materia instituitur

## SECTIO SECUNDA

### De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

1. **O**mnia Sacramenta novæ Legis rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ perfici; docet Concilium Florentinum in Decreto Eugenii ibi: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministris, conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Duplex autem est materia, proxima videlicet, & remota, ut patet in Baptismo, cujus materia proxima est lotio seu ablutio, remota, aqua naturalis. Videamus si etiam Sacramenti Pœnitentiæ duplex sit materia.

**Conc. Florent.** Concilium Florent. suprâ sic inquit: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus Pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis Contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris Con-*

*fessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccato secundum arbitrium Sacerdotis: qua quidem præcipitur per orationem, ieiunium, & elemosinam.*

Idem statuit Concilium Trident. sess. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hæc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Igitur quasi materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ Contritio, Confessio, & Satisfactio: materia autem remota, peccata; ut pote circa quæ versantur prædicti actus pœnitentis; nam, ut liquido constat ex verbis Florentini, Contritio Sacramentalis est dolor de peccato, Confessio est accusatio peccati, Satisfactio ejusdem vindicta. Accedat Absolutio

Iustio à peccatis, quæ est forma hujus Sacramenti; adeoque nulli dubium esse potest, quin peccata sint materia remota circa quam, sicut vulnera sunt materia remota circa quam medicina, & substantia panis ac vini, quæ destruitur per verba Consecrationis, sunt materia remota Eucharistiæ; nam & peccata per formam Absolutionis destruantur, & vulnera per medicinam curantur.

Hoc ergo supposito pro indubitato, quaeritur primò, an omnia peccata sint materia hujus Sacramenti, vel si non omnia, quæ, & quæ non. Resolutio erit

CONCLUSIO I.

Materia remota Sacramenti penitentia est omne & solum peccatum baptizati, id est, peccatum commissum in Baptismo, vel post Baptismum.

Peccata commissæ ante Baptismum nullatenus esse materiam Absolutionis, saltem directam, nimis manifestè constat ex diversis locis Concilii Tridentini sess. 14. In primis cap. 1. ibi: Quo tam insigni factò, & verbi tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsi, Apostolus &c.

Item cap. 2. ibi: Constat Baptismi Ministrum Inducem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam, per Baptismi ianuan fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, iudicare? Sicut est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi, sui corporis membra semel efficit: nam hos, si se postea (id est, post Baptismum) crimine aliquo contaminaverint..... ante hoc tribunal tanquam reos sibi voluit: ut per Sacramentum sententiam non semel, sed quoties ab admisso peccatis ad ipsum penitentes confugerint, possent liberari. Et in fine capituli ait: Est autem hoc Sacramentum Penitentia lapsi post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regenerati ipse Baptismus.

Adde, quod habet c. 5. in principio: Ex institutione Sacramenti Penitentia tam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, iure divino necessariam existere.

Quid clarius, quàm peccata post Baptismum commissæ esse materiam? Et siquidem peccata ante Baptismum essent materia, quæ ratio dubitandi, quin Concilium illud expressisset, alioquin doctrina ejus profus mutila foret. Hic ergo est totius Ecclesiæ sensus, & semper fuit.

Dicit quidem Arriaga (inquit Bonæ Spei hic disp. 4. n. 26.) omnes etiam ante Baptismum esse Christi subditos: ergo & Ecclesiæ, ac eorum, qui nomine Christi Sacramentaliter absolvent. Sed Consequentia nulla est, quia (præterquam quòd impingat in Tridentinum, statim citatum) Christus Ecclesiæ non concessit omnem illam auctoritatem & jurisdictionem, quem habuit, ut v. g. prædestinandi, miracula patrandi &c. sed limitatam dumtaxat ad hoc vel illud Sacramentum, sic vel sic conficiendum, vel ministrandum &c. Hucusque Bonæ Spei.

Sed (pace tanti viri) cupio doceri, quò loco Arriaga habeat illam Consequentiam. Vel si nullibi habeat, ad quid nomen ejus? An forte dubitabat Bonæ Spei, omnes ante Baptismum esse Christi subditos, ut hoc auctoritate illius Auctoris nobis vellet persuadere? Et verò, quomodo Christus potuisset esse Auctor novæ Legis, si non omnes ante Baptismum fuissent subditi Christi? Nonne Apoc. 1. v. 5. Iesus Christus vocatur Princeps Regum terræ? Et Apoc. 19. v. 16. Rex Regum & Dominus Dominantium? Ad quid ergo auctoritas Arriagæ?

Vis autem scire, an illa Consequentia sit Arriagæ? Audi quid dicat disp. 31. n. 1. Observo, inquit ille, hanc rationem (desumptam ex verbis Apostoli: Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare) habere vim suppositâ voluntate Christi: nam cum ipse habuerit jurisdictionem in omnes homines, etiam non baptizatos, potuit dare Ecclesiæ eandem jurisdictionem, ut abolveret à peccatis commissis, etiam ante Baptismum, quo casu etiam non baptizati fuissent Ecclesiæ subditi, saltem quoad hunc effectum. Quidquid de illo casu sit, de facto non voluit ea peccata esse materiam, aut necessariam, aut sufficientem pro hoc Sacramento. Hactenus Arriaga. Amplius nil dico.

Liquet profectò, pro remissione peccatorum, Baptismum præcedentium, institutum fuisse Sacramentum Baptismi; cujus effectus, teste Florentino supra, est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Ergo non est verisimile, quòd pro eisdem peccatis sit institutum Sacramentum Penitentia.

Unde nescio, quo fundamento Angelus in Sum. v. Confessio 2. n. 2. dixerit: Non confitens peccatum mortale, commissum tam ante Baptismum, quàm post, si habet copiam idonei Confessoris, memoriam peccati, & tempus, & loquelam ad confitendum, omnino damnabitur, cum sit de jure divino præcepta Confessio.

Citatur etiam pro hac opinione Scotus apud Medinam de Confess. q. 5. credo, quia 4. dist. 17. n. 10. ait: Non videretur quòd infideles

Arriaga via dicit argui à Bonæ Spei.

Omnes ante Baptismum sunt subditi Christi.

Apoc. 1.

Apoc. 19.

Arriagæ

Pro remissione peccatorum præcedentium Baptismi, est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.

Ex quo rejicitur sententia Angelus, peccatum commissum ante Baptismum, si habet copiam idonei Confessoris, memoriam peccati, & tempus, & loquelam ad confitendum.

Pro qua citatur etiam Scotus ex

G g g tenerem

6. dist. 17.  
n. 10. &  
18.

tenerentur ad preceptum de confessione, si Confessio foret tantum iuris Ecclesiastici. Et n. 18. De secundo, inquit, articulo dico, quod hoc preceptum includit quis debet confiteri; quia adultus, id est, habens usum rationis, & cognoscens peccatum quod commisit. Ubi nullam facit mentionem Baptismi, seu hominis baptizati: ergo videtur supponere etiam non baptizatum ( qui potest esse adultus, id est, habens usum rationis, & cognoscens peccatum, quod commisit ) obligari, adeoque peccata ante Baptismum commissa esse materiam huius Sacramenti, cum non baptizatus non habeat alia peccata.

7.  
Explicantur  
verba Scoti,  
quae habet  
n. 18.

Respondeo ad ultimum, non omnia ubique esse exprimentia. Supposuit Scotus ex communi Sententia, sola peccata post Baptismum commissa esse materiam Sacramenti Penitentiae, ut prius insinuat dist. 4. q. 5. n. 6. ibi: Quandoque oportet omne peccatum, quod deletur, esse obiectum Penitentiae, utpote si omnia illa peccata sint commissa post Baptismum, quandoque autem non oportet, ut in proposito ( loquitur de Baptismo fide suscepto, & quare, an peccata ante Baptismum commissa, deleantur per Penitentiam, quae tollitur fictio ) Non ergo per virtutem ( id est, efficaciam ) Penitentiae, dimittuntur hic omnia peccata, sed in Penitentia dimittuntur, partim per Penitentiam, partim per aliam causam: & sic non habetur ibi dimidia venia peccatorum, sed tota à Deo: non tamen tota per Penitentiam; quia non oportet de omnibus, quae inveniunt, peccatis penitere: & secundum hoc esset dicendum, quod illa sex ( peccata commissa ante Baptismum ) delentur, & quantum ad culpam, & quantum ad penam: nec de eis oportet habere Contritionem, nec Confessionem, nec Satisfactionem, sed solum de illo septimo, quod fuit causa fictionis.

8.  
Explicantur  
verba Scoti,  
quae habet  
n. 10.

Et n. 7. sic ait: Et tunc illa propositio; peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per Penitentiam, debet intelligi de peccato commisso post Baptismum, vel omnino inhereente, sic scilicet, quod de ipso nec fuerit Contritio, nec Actus in Baptismo, nec post Baptismum. Uti que quia illud, & non aliud est materia Sacramenti Penitentiae. Supposita itaque materia huius Sacramenti, de qua Scotus supra distinct. 17. non disputabat, docet, omnem adultum rationis compotem, teneri ad Confessionem, si caetera adsint, id est, si cognoscit peccatum, quod commisit post Baptismum.

Richardus.

Quantum ad prima verba Scoti, certum est, quod infideles non tenerentur ad preceptum de Confessione, nisi esset naturale vel divinum. An autem teneantur, supposito, quod sit preceptum divinum, Scotus ibi expressè non docet.

Atque ut doceret, prout in terminis docet Richardus 4. dist. 17. quem citat Angelus supra, adhuc non rectè inferretur: ergo peccata

ante Baptismum commissa, sunt materia Sacramenti Penitentiae: quia licet obligentur infideles illo precepto, sicut, secundum multos Doctores, obligantur precepto Eucharistiae; haud equidem pro statu infidelitatis retentae, sed ex hypothese, quod suscipiant Baptismum, & cognoscant peccatum post Baptismum commissum, de quo plura loco, ubi de precepto divino Confessionis.

Præcipua difficultas, immo ferè sola, quae hic movetur inter Doctores Catholicos, est hæc; an peccata, quae sunt ipso instanti Baptismatis, sint materia Sacramenti Penitentiae. Afirmat conclusio, quae est communis, & videtur Scoti mox allegati 4. dist. 4. q. 5. n. 6. in fine: Nec de eis oportet habere Contritionem, nec Confessionem, nec Satisfactionem: sed solum de illo septimo, quod fuit causa fictionis.

Similiter loquitur in Report. ( Coloniae impressis ) 4. dist. 4. q. 7. n. 3. Dico, inquit, quod scit potest habere multa peccata, & non propter quodlibet est scitus, quia de multis potest habere conscientiam, continuando tantum unum: sic, si est scitus tantum de uno peccato, & habuit conscientiam de omnibus aliis, oportet illum habere conscientiam de illo uno peccato, sicut de commisso post Baptismum ( id est, oportet illum confiteri; Confessio enim sive Sacramentum Penitentiae est illa Penitentia, quam oportet habere de peccato commisso post Baptismum ) & alia delentur per Baptismum.

Ado, quae de hac re scribit in Report. (ultima impressio) eadem dist. 4. q. 5. n. 3. Dico, inquit, scit respectu omnium peccatorum mortalium, quae habet, quia de nullo attinet, recedente fictione per Confessionem & Penitentiam, partim dimittuntur virtute precedentis Baptismi, quantum ad culpam, & quantum ad penam; si autem scit scitus propter unum peccatum, & de omnibus aliis attritus, recedente fictione istius unius per Confessionem, delentur omnia alia virtute Sacramenti, & gratia baptismalis, quae tunc infunditur, quae etiam infusa fuisset in receptione Baptismi, nisi scitus infuisset; & ideo sicut in principio expulsi omnia, & quantum ad penam & culpam, eodem modo, eademque virtute hoc facit, cessante fictione, de qua penitere oportet, & specialiter confiteri.

Ubi per fictionem intelligo tam peccatum præcedens, quod actu placet, quando Baptismus suscipitur ( vel potius actualis completio peccati præteriti ) quam peccatum sacrilegii, quod committitur suscipiendo Baptismum, absque debita dispositione ad effectum gratiae sanctificantis. Et eadem est ratio de quocumque alio peccato, v. g. simonia, odio proximi &c. quod primò committeretur ipso instanti vel tempore, quo imprimetur character baptismalis.

Rogas, quae sit ista ratio? Respondeo, voluntas Christi, quam cognoscimus ex Concilio Trident. sess. 14. c. 5. ibi: Dominus noster

Iesu Christus è teris adscensum ad Celos, Sacerdos simplicis Vicarius reliquit, tanquam Praefides & Induces, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate Clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant. Huiusmodi autem mortalia crimina, sunt omnia illa, quæ committuntur ipso instanti, vel tempore, quo imprimatur character Baptismi.

Pater; quia illo instanti vel tempore homo est Christianus & fidelis. Sicuti ipso instanti vel tempore, quo homini infunditur gratia sanctificans, est iustus, amicus Dei, & heres secundum spem vitæ æternæ, non minus, quàm in omnibus reliquis instantibus.

Quod etiam cernitur in formis physicis, quæ non minus primo instanti, quàm cæteris subsequenibus communicant subiecto suum effectum formalem. Sic in primo instanti, quo mihi unitor albedo, sum omnino albus, quò unitor calor, sum omnino calidus &c.

Ergo similiter in primo instanti vel tempore, quo communicatur mihi character Christi, sum omnino Christianus, sive de familia Christi: ergo peccatum mortale, quod illo instanti vel tempore committitur, est peccatum hominis fidelis & Christiani; quidni ergo deferri debeat ad Sacerdotes? Proflus debet; quia iam est subditus Ecclesiæ, utpote per Baptismum iam in ipsam ingressus; in quem pròinde Ecclesiæ iudicium exercet ligando legibus, puniendo &c. ergo etiam absolvendo.

Putas, quia Religiosus, eo instanti, quò emittit vota Religionis, non possit contra illa peccare? Omnino peccaret, si v.g. haberet voluntatem aliquid accipiendi absque licentia Prælati &c. Similiter conjux, eo instanti, quò contrahit Matrimonium, peccat contra fidem Matrimonii, si habeat animum fornicandi. Neque enim est necesse; quòd inter obligationem contractam per Professionem, & eius violationem, mediet nova notitia & advertentia; sed abundè sufficit, quòd prævideatur, emissa Professione non esse licitum talem actum; tunc quippe hoc ipso quòd velim simul Professionem, & actum proprietatis v. g. pecco contra obligationem Professionis.

Ergo consimiliter hoc ipso, quòd aliquis vult suscipere Baptismum, unàque v. g. non confiteri singulis annis, convincitur peccare contra legem Ecclesiæ; quæ obligat omnes baptizatos ad annuam Confessionem.

Ecclesiæ namque fert leges suas; non præcisè pro subditis præsentibus, sed etiam futuris, ergo obligant in illo ipso instanti, quo subditi fiunt; ergo in illo ipso instanti possunt contra illas peccare, & peccabunt, dummodo adfuerit prævia notitia istarum legum, & sufficiens advertentia.

Atque ut non possit præcipere Ecclesiæ pro illo instanti, cur non possit delictum com-

missum contra legem Dei cognoscere & iudicare, præsertim in foro Sacramentali; in quo iudicat de merè internis, quæ tamen non potest præcipere? Non video quid obstat: adeoque licet forsitan non possit directè prohibere indignam susceptionem Baptismi, poterit tamen illam punire, utpote peccatum hominis Christiani.

Cæterùm probari etiam solet hæc communis sententia, & satis efficaciter, inquit Ariaga disp. 31. n. 8. quia omnia peccata debent directè deleri, vel per Baptismum, vel per Pœnitentiam, ex Christi institutione; atqui peccata commissa eo instanti Baptismi, non possunt per se deleri per illum: ergo debent deleri per Pœnitentiæ Sacramentum.

Sed, dicit aliquis, non video tantam efficaciam huius argumenti; nam in primis, ubi relevatum est, omnia peccata debere deleri directè & per se per aliquod Sacramentum? Deinde, si peccata commissa ante Baptismum delentur per Baptismum, quando tollitur impedimentum effectus Baptismi; quare non potest, interrogat Scotus 4. dist. 4. q. 5. n. 5. ut illa fictio, quæ fuit causa impedimenti, tolli, quando cessat impedimentum, per ipsum Baptismum?

Dices; quia impossibile erat, quòd illa fictio tolleretur per Baptismum, dum re ipsa suscipiebatur; non videtur autem, Baptismus revivificens posse præstare alium effectum, quàm illum, què poterat præstare & præstitisset, dum re ipsa suscipiebatur, nisi fuisset impeditus.

Respondet; indè tantum probari, quòd peccatum fictionis non tollatur directè per Baptismum revivificentem; interim, quare non tollitur indirectè, sicuti, secundum Aliquos, tolluntur indirectè peccata commissa post Baptismum? Et quare illa indirectè remissio non sufficit pro illo peccato, de quo non constat certò, quòd sit materia Absolutionis?

Utrumque ergo sit de hac secunda probatione, sufficit nobis prima, præsertim accedente auctoritate D. Augustini lib. 1. de Baptismo contra Donat. c. 12. ibi: Sicut enim in illo qui fictus accesserat (ad Baptismum) sit ut non de hinc baptizetur, sed ipsa p̄a correctione & verâ Confessione purgetur, quod non possit sine Baptismo, sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci Confessione recesserit, sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt; qui se separaverunt, inimicus Charitatis & pacis Christi in aliqua heresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittentur, cum se converterit, & ad Ecclesiæ societatem unitatemq; venerit; non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione (per Sacramentum Pœnitentiæ) ac pacè præstatur, ut ad remissionem peccatorum eius (ante Baptismum commissorum) in unitate iam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Hucusque Lumen Ecclesiæ S. Augustinus.

15. Alla probatio communi Sena tentie ex Ariaga.

An sit efficax?

18. Objectio.

Responsio.

17. Tertia probatio ex auctoritate D. Aug.



18. Nec obstat, quod ibidem in fine ait: Sic non impeditur Baptismi gratia, quod minus omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in eius, cui dimittuntur, animo perseveraverit; solvitur hesternus dies, & quidquid superest solvitur, etiam ipsa hora, momentumq; ante Baptismum & in Baptismo.

Solvitur dicendo, August. ibi non fuisse locutum ex propria sententia, sed Donatistarum.

Non obstat, inquam, quia Augustinus isto loco potissimum discurret ad hominem, proposito hoc dilemmate contra Donatistas: Quid si ad ipsum Baptismum factus accessit? Dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, sufficiet nobis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplina effugiet factum, si in isto facto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint, non esse dimissa; quare, si postea fictionem suam corde concusso, & vero dolore fateretur, denud baptizandus iudicaretur?

Et continuo atexit veritatem Catholicam, juxta ultimam partem, dicens: Quod si demeritissimum est dicere (videlicet, hujusmodi denud baptizandum) fateantur, vero Baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor eius in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri &c.

Dein, supposita electione primæ partis Dilemmatis, ex sententia Donatistarum sic discurret: Si, inquit, dixerint, in illo, qui factus accessit, per sanctam vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem ipsius redisse continuo, ut Spiritus sanctus & assuerit baptizato, ut peccata recederent, & perseverantiam fictionis fugerit, ut redirent, ut & illud verum sit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et illud: Spiritus enim sanctus disciplina effugiet factum.... Qui ergo hoc dixerint, hoc etiam in eis intelligant fieri, qui extra Ecclesie communionem, sed tamen Baptismate Ecclesia, baptizantur &c.

Sed nunquid hoc aliquando dixit Augustinus? Absit à viro sapientissimo stultissima doctrina, cui nec ratio, nec auctoritas in minimo suffragatur. Quomodo autem intelligendum sit, quod ibi videtur dicere S. Doctor de reditu peccatorum, propter odium fraternum, ex Parabola Christi Matth. 18. de servo, cui Rex dimiserat omne debitum, & rursum illud imputavit ob duritiam in suum conservum, diximus ex Scoto disp. præced. sect. ult. concl. 3.

19. Aliqui putant, mentem D. Augustini fuisse, quod peccata, significata per debitum decem millium talentorum, non fuerint coram Deo verè remissa, propter occultum perseverans in corde odium, quod Deum utique non latebat, quamvis, quia latebat homines, coram ipsis essent remissa. Et sic verum est, quod Baptismi gratia omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in eius, cui dimittuntur, animo perseveret. Solvitur enim coram hominibus, quos latet internum peccatum, hesternus dies, & quidquid

superest; solvitur etiam ipsa hora momentum, ante Baptismum, & in Baptismo; quia homines judicant baptizatum liberum ab omni proptus debito culpæ & pœnæ.

An verò ille fuerit sensus D. Augustini, valde dubito: nam illico subjungit: Denique autem reus esse continuo incipit; non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, qua dimissa sunt, peccatis. Num coram hominibus incipit esse reus, & redeunt peccata? Clarum est quod non, quousque hominibus innotescit peccatum fictionis. Ergo coram Deo? ergo antea coram Deo erant dimissa.

Hoc igitur firmissimè tene; & nullatenus dubites, Augustinum ibi non loqui ex propria sententia, si loquitur de remissione; ad eoque ex verbis allegatis nullum, nequidem probabile; argumentum delumi polle pro opposita sententia, quæ docet peccatum fictionis, aut alia peccata; quæ committuntur ipso instanti Baptismatis, per ipsum Baptisma per se & directè remitti.

Et sanè quomodo remitti posset pro illo instanti, in quo primò est? Si enim gratia Sacramenti (inquit Lugo disp. 16. n. 37) & Spiritus sancti præsentia effugiat pro tenebras peccati habitualis, multò magis effugaret tenebras peccati actualis, quod pejus est. Unde assert. August. exemplum illius, quod tenebris per lucem transit ad tenebras, quem quidem lux perfundit transeuntem; sic eo casu post illud; inquit, temporis punctum redierit peccata, tanquam redierint à obscuritate, quam lux in transitu excusserat. Non loquitur ergo de peccato, quod eodem puncto temporis hinc illud enim non recedit: quomodo enim dicitur recedere; quando actu venit & fit?

Ità interrogat Eminentissimus, existimans Augustinum loqui non de peccatis, quæ fiunt in ipso ultimo instanti, quo perficitur Baptismus, sed cum majori quadam latitudine, de debito, quod homo habet, non solum antea contractum, sed etiam quamdiu ministratur Baptismus, quæ actio, càm sit successiva, durat per aliquod tempus.

Sed interrogo & ego unum verbum: Quomodo fieri potest, ut Deus condonet peccatum, quando actu fit? Nonne peccatum per condonationem dicitur recedere? Et tamen hoc possibile esse, docet Lugo disp. 7. n. 126. Sed mittamus ista, quia, ut ostendimus, Augustinus non loquitur ex propria sententia.

Progredior ad Concilium Trident. quod videtur contrarium conclusioni, dum ait sess. 14. c. 1. Illis vitæ remedium contulit, qui se postea (id est, post Baptismum) in peccati servituti, & demonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Penitentia, quo lapsi post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Et infra: Ad

reconciliandos peccatores, post Baptismum lapsos. Item cap. 2. Nam hos, qui se postea (id est, post Baptismum) crimine aliquo contaminaverint...

Similiter loquitur cap. 4. & 5. item can. 1. qui modus loquendi, videtur excludere à materia hujus Sacramenti peccatum, commissum in ipsa susceptione Baptismi.

Respondet; sicuti est rarissimus casus, imò fortè nunquam contingit, quòd peccatum aliquod præcisè duraverit eo tempore, quo confertur Baptismus, five illo instanti vel tempore, quo imprimitur Character, & non etiam aliquo instanti vel tempore post absolutum Baptismum, ità non fuit operæ præteritum, ut vel lapsus, vel expressè Concilium mentionem faceret illius peccati, quod committitur in ipso Baptismo, sed omnia peccata divisit in duo membra, videlicet in illa, quæ fiunt ante Baptismum, & quæ fiunt post Baptismum.

Et dato, quòd etiam illa generalis locutio possit, & deberet intelligi accommodatè de peccatis post Baptismum commissis, conformiter ad alias locutiones, ad summum indè sequeretur, Concilium definivisse, quod certum erat, scilicet peccata mortalia post Baptismum commissis, esse materiam necessarii Confessionis; aliam autem quæstionem, controversam inter Doctores Catholicos, indeci- lam reliquit.

Ceterum, quòd attinet ad illa verba Tridentini sess. 14. c. 2. Cum Ecclesia in neminem iudicium exercent, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuas fuerit ingressus. Respondent quidam Auctores, hæc verissima esse: nam Sacramentum Confessionis; quod significatur per illud iudicium, dari non potest, nisi post Baptismum. Nam ipso instanti Baptismi homo nequit confiteri, nequit dolere de peccato, quod tunc committit; ergo nequit absolvi, ut omnes debent fateri. Igitur prioritas non requiritur respectu ipsius peccati, sed iudicii Sacramentalis. Hæc illi.

Sed non video ego, quomodo tunc ex illis verbis Conc. vel ex his verbis Apostoli: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Quomodo, inquam, bene probetur, peccata commissis ante Baptismum, non esse materiam hujus

Sacramenti. Enimverò Ecclesia absolvendo homines baptizatos à peccatis, ante Baptismum commissis, non exercet iudicium, five non iudicat, secundum illam explicationem, de iis (hominibus) qui foris sunt, sed qui intus sunt. Præterquam quòd prioritas Baptismi respectu ipsius peccati, satis insinuari videatur verbis proximè subsequenibus, videlicet: Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui Corporis membra semel efficit: nam hos si se postea crimine aliquo contaminaverint &c.

Respondet Lugo disp. 16. n. 32. Ly Postea non debet restringi ad solum tempus subsequens, ità ut positivè excludat ipsum instans, quo Baptismus perficitur. Nam de se indifferens est ad utramque significationem: sic enim dicere solemus; Ante solis ortum sunt tenebra; postea verò non sunt: item: Ante usum rationis non peccat homo; postea verò peccat: ubi illud postea, non includit solum tempus subsequens, sed etiam ipsum primum instans, quo Sol est ortus, vel quo primum datur usus rationis.

Respondet II. Concilium ibi non loquitur de omnibus baptizatis, sed de iis solis, qui dignè baptizantur, & lavacro Baptismi purgati & sanctificati, membra Christi efficiuntur, quo certò nomine non intelliguntur, qui baptizantur indignè, ii enim non dicuntur propriè & simpliciter membra Christi; sed imperfecta, dum sunt in peccato mortali. Illa ergo, qui in Baptismo fiunt membra Christi, non indigent Sacramento Pœnitentiæ; nisi ad peccata, quibus tempore sequenti sese contaminaverint. Secus de iis, qui non abluuntur in ipso Baptismo, de quibus Concilium in illis verbis non egit. Hæc ille supra n. 33.

Sed contra hoc ultimum: ergo ex illo loco Concilii non potest probari, peccata commissis post indignum Baptismum esse materiam necessariam Absolutionis; quòd, an Lugo concederet, nescio.

Deinde indignè baptizatus, etsi non sit perfectum seu vivum membrum Christi, quamdiu manet in statu peccati mortalis, juxta illud Trid. sess. 6. c. 7. Fides nisi ad eam spes accedat & Charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Equidem simpliciter, id est, absolutè & sine addito dicitur membrum corporis Christi, id est, Ecclesiæ. Nam in corpore mystico alia est forma, quæ dat esse, scilicet fides aut character Baptismatis, & alia quæ dat vivere, scilicet Charitas.

Contra primam responsionem facit, quòd, ut illa admittit, ly Postea de se indifferens sit ad utramque significationem, & nihil addit, ex quo possit colligi, quòd debeat se extendere ad ipsum instans Baptismi. Nam quòd ait Eminent. n. 32. Concilium in illis verbis omnium hominum peccata dividit in duas

Ggg 3 classes,

24. Prima res sponso Lib. gonis.

Secundus

25. Contra 2. resp. arguunt Auctores.

26. Arguitur contra 2. resp.

classes, alteram eorum, quæ sunt foris, hoc est, extra Ecclesiam, alteram eorum, quæ sunt postquam homo baptizatus est, faciliè admittent Adversarii & dicent, peccata, quæ sunt in instanti Baptismatis, pertinere ad primum membrum; aut certè ad nullum; & nihilominus divisionem esse adequatam; quia Concilium dividat ibi peccata mortalia, non omnia omnino, quæ contingere possunt, sed quæ ut plurimum committuntur, quoniam regulæ generales non concernunt casus extraordinarios, qualis est ille, in quo præcisè coincidunt punctum Baptismi, & peccatum mortale.

27. Obiectio.

Quin immo, reponit quispiam, semper peccatum fictionis coincidit præcisè cum puncto Baptismi; tunc enim, & non antea, aut postea, est sacrilega susceptio Baptismi.

Solutio.

Fateor, si intelligas peccatum merè externum; sed cum illud non sit verè peccatum; sed potiùs effectus peccati præteriti, v. g. voluntatis sacrilegè suscipiendi Baptismum, quæ, ut hic supponitur, nullo modo existit in puncto Baptismi, nulla est quæstio, an hoc peccatum sit materia Confessionis, quando coincidit cum Baptismo; cum licèt post Baptismum fieret, equidem talis materia non esset, v. g. si aliquis dedisset causam culpabilem pollutioni ante Baptismum, & postea in somno validè, aut etiam licitè baptizaretur, & post Baptismum adhuc in somno contingeret pati pollutionem, illa certè pollutio non est materia Confessionis; quia licèt positum sit opus externum post Baptismum, voluntas tamen & libertas tota posita fuerat ante Baptismum.

28.

Peccatum externum fictionis necessariò coincidit cum puncto Baptismi, secus internum.

Similiter ergo in casu nostro; tamen ipsa susceptio Baptismi sit actio externa sacrilega, adeòque peccatum externum fictionis, necessariò coincidat cum puncto Baptismi, si tamen pro tunc illa actio non foret ampliùs voluntaria & libera, sed voluntas & libertas tota omnino desisset ante illud punctum, liquet profectò quòd & hæc ipsa, secundum nostram conclusionem, non esset materia Confessionis, cum non foret nisi peccatum merè externum, seu potiùs effectus peccati, qui sequitur causam suam, id est, malam voluntatem, quæ tota fuit absoluta ante punctum Baptismi.

Vel si in illo duravit, nescitur an cum ipso præcisè cessaverit; adeòque confitenda erit etiam secundum propriam malitiam, v. g. sacrilegii, saltem tanquam peccatum dubium, si peccata dubia confitenda sint, de quo infra latius; proinde casus metaphysicus est, in quo certò constat, peccatum fictionis, vel quodcumque aliud, præcisè terminatum fuisse in ipso instanti vel tempore, quo imprimetur character Baptismi: jam autem de casibus extraordinariis non ità curant Concilia.

29.

Quamvis, ut verum fatear, in materiis &

formis Sacramentorum soleant magis præcisè loqui, in tantum, ut eo ipso, quòd à Concilio assignatur una, videatur excludi omnia alia, quæ non sit illa, saltem æquivalenter. Nam eo ipso, quòd in Florentino dicitur, materiam Baptismi esse aquam naturalem, excluditur aqua artificialis; & quando pro materia Eucharistiæ assignatur vinum de vite, excluditur vinum ex pomis; & sic de aliis.

Hinc, quia in casu extraordinario simplex Sacerdos potest esse Minister Sacramenti Ordinis, Florentinum non dicit absolute: *Minister huius Sacramenti est Episcopus*, sed: *Ordinarius Minister*. Similiter assignans causam efficientem Matrimonii, inquit: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutui consensus, per verba de presenti expressus*, ut significet extraordinariè posse contrahi Matrimonium per solos nuptus, absque verbis propriè dictis.

Cum ergo Concilium Tridentinum toties assignet pro materia Sacramenti Penitentia peccata, post Baptismum commissa, ideo melius dicitur, peccata commissa in Baptismo, comprehendi sub peccatis commissis post Baptismum; quia & ipsa sunt peccata fidelium, ut supra probavimus. Igitur auctoritas Tridentini magis probat Conclusionem & communem sententiam, quam improbet.

Quantum ad rationem sententiæ oppositæ, illa nullius ponderis est, ut jam ostendo. Per Baptismum, inquit Adversarii, applicatur Sanguis Christi ad solvendum debita omnia contracta, inter quæ sine dubio includitur illud ipsum debitum, quod tunc contrahitur, uti Sanguis Christi effundebatur ad satisfaciendum, etiam pro peccato, quod committitur ab ipsis crucifixoribus.

Respondeo; si hæc instantia de Sanguine Christi quidquam probaret, ostenderet evidenter, per Baptismum posse remitti, etiam illa peccata, quæ tempore sunt eo posteriora, quia & pro his satisfecit Sanguis Christi, sic tamen ut illa non delect nisi applicatus per Sacramentum, ad istum effectum à Christo institutum; porro non constat, Baptismum esse institutum ad effectum remissionis illius peccati, quod tunc committitur, quando Baptismus perficitur, vel quando Baptismus jam perfectus est.

Enimverò Sanguis Christi est pretium universale, ex se abstrahens ab omni applicatione, adeòque de se aptus, ut delect omnia peccata, pro quibus modo debito fuerit applicatus; pretium autem ad aliquid solvendum, bene potest esse, etiam antequam contrahatur debitum, vel quando actualiter contrahitur. At verò Baptismus, & alia Sacramenta, sunt applicatio ejus pretii, id est, Sanguinis Christi seu est ipsa solutio actualis: implicat autem eo ipso tempore, quo contrahitur & existit debitum peccati, illud solvi, inquit Arriaga disp. 31. n. 11.



Quod verum est, si solvi debitum peccati idem sit, quod non existeret peccatum actuale; sic enim simul existeret peccatum, & non existeret. Alioquin per potentiam absolutam Dei, ut diximus disp. præced. sect. 5. concl. 8. fieri potest, ut transacto peccato actuali, non maneat peccatum habituale: ac proinde, si solvi debitum peccati; idem foret; quod non manere peccatum habituale, fieri absolute posset, ut eo ipso tempore quo contrahitur & existit debitum peccati, id est, existit peccatum actuale, illud ipsum solveretur, id est, non relinquere post se maculam peccati, eod quod Deus intuitu Baptismi, nollet sequenti instanti propter illud peccatum transactum, amplius indignari. Interim quod fieri potuit, unde probatur factum esse? Loquimur autem hic, non de possibili; sed de eo, quod de facto contingit. Illa ergo ratio Adversariorum nullus, ut dixi, momenti est.

Neque hæc Consequencia: ergo qui peccaret venialiter in susceptione Baptismi, & statim moreretur, deberet ire ad Purgatorium. Etenim quid hoc refert?

Multum, inquis, per omnem modum; primo, quia repugnat communi sensui fidelium. Deinde opponitur Concilio Trid. sess. 5. in Decreto de peccato originali can. 5. ubi docet, per gratiam, quæ in Baptismate confertur, tolli totum quod veram & propriam peccati rationem habet, ita ut nihil profus eos (id est, baptizatos) ab ingressu Cæli remoretur.

Respondet; communem sensum fidelium, uti etiam Concilium Tridentinum supponere, quod baptizatus non commiserit ullum peccatum, vel in susceptione Baptismi, vel post susceptum Baptismum.

Audi Florentinum in Decreto Eugenii: Hæc, inquit, Sacramenti (Baptismi) effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pene, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatus nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum Cælorum, & Dei visionem perveniunt.

Sed nunquid qui peccat in ipso Baptismo, baptizatus moritur, antequam culpam aliquam committat? Plus quàm meridianum est, quod non; nisi velis ipsum mori, antequam sit baptizatus, & per consequens mori baptizatum, & non baptizatum; quæ sunt manifeste contradictoria. Quid ergo mirum, si non statim ad regnum Cælorum, & Dei visionem perveniat?

In Martyre posset etiam habere locum eadem difficultas; facile tamen responderetur (inquit Arriaga supra) Martyri ex opere operato dimitti reatum, dum moritur, non verò dum liberè se obtulit Martyrio, quia post eam oblationem potest peccare venialiter, quæ peccata saltem posteriora eâ voluntate, non

possunt per illam deleri, ergo debent deleri ex opere operato in ipso mortis momento, quo jam non potest committere veniale; immo tunc coneritur de illis, si quæ habuit immediatè ante mortem. Hæc ille, juxta probabilem sententiam, quæ docet, effectum Martyrii non conferri ante primum instantis vitæ extrinsecum.

Sed quarto ego, quomodo tunc verum sit, quod in Martyre possit habere locum eadem difficultas; nam hæc sententia supponit, quod nunquam possit esse peccatum veniale in illo momento, in quo confertur gratia Martyrii. Porro difficultas supponit, & oritur ex eo, quod baptizatus possit peccare in illo momento, quo recipit gratiam Baptismi.

Hinc in sententia, quæ docet, effectum Martyrii conferri, quando per vulnera aut cruciatum homo naturaliter certè ad mortem disponitur, sicut est eadem difficultas in Martyre, ita eodem modo respondendum est, videlicet si Martyr in illo momento, quo accipit gratiam Martyrii, peccaret venialiter, deberet ire ad Purgatorium.

Si inferas: ergo non faceret injuriam tali Martyri, qui pro ipso oraret. Concedo totum. Et dico, commune dictum: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, intelligendum esse de casu ordinario, quia supponit Ecclesia ab illo momento; in quo accipitur gratia Martyrii, longè abesse omnem affectum, vel saltem minimi peccati venialis.

Dico ergo generaliter, nullum esse à Christo institutum remedium, quod remittat peccata, quæ committuntur eo ipso tempore, vel instanti, quo illud remedium applicatur. An fortè existimas, quod Absolutio Sacramentalis significet remissionem peccati, quod committitur illo momento, quo Absolutio debet causare suum effectum? Aut fortassis cogitas, Indulgentiam plenariam comprehendere illud peccatum, quod committitur illo instanti, quo quis lucratur illam Indulgentiam? Absit à nobis talis cogitatio. Etenim Absolutio Sacramentalis, uti etiam Indulgentia plenaria, exigunt dolorem de peccato, qui incompossibilis est cum actuali peccato.

Ergo consimiliter argumentandum de Sacramento Baptismi, & de omnibus peccatis, quæ illo momento committuntur, quo confertur, vel debet conferri gratia Baptismi: dicantur priora naturà, aut posteriora, parùm refert, dummodo simul sint tempora.

Nonnulli distinguunt inter peccata, & putant, peccatum fictionis minùs pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm alia peccata, quæ per accidens seu concomitanter se habent; idque quia peccatum fictionis, id est, voluntas indebitè suscipiendi Baptismum, non potest prohiberi ab Ecclesia, cum hæc voluntas sit prior naturà, quàm Baptismus, per quem homo

34o  
Martyr si in illo instanti, in quo accipit gratiam Martyrii, peccaret venialiter, deberet ire ad purgatorium.

35o  
Nihil remittit peccata, quæ committuntur eo tempore, quo applicatur.

36o  
An peccatum fictionis minùs pertinere ad Pœnitentiæ, quàm alia peccata, quæ per accidens seu concomitanter se habent; idque quia peccatum fictionis, id est, voluntas indebitè suscipiendi Baptismum, non potest prohiberi ab Ecclesia, cum hæc voluntas sit prior naturà, quàm Baptismus, per quem homo

homo subicitur Ecclesiæ, non potest autem Ecclesiæ directè præcipere, ut aliquis fiat subditus; sed bene, ut si velit fieri subditus, pro illo instanti observet leges ejus.

*Alli negant.* Alii è contrario arbitrantur, peccatum fictionis magis pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ; quia, inquit, aliquando peccatum fictionis est posterius naturâ susceptione Baptismi; quippe voluntas suscipiendi Baptismum, potest esse causa voluntatis habendi dispositionem debitam; si ergo tunc omittatur illa dispositio, illa omisso erit post Baptismum.

*37. Prima responsio An. Floris.* Respondeo I. etiam ex consideratione & voluntate Baptismi, homo potest moveri ad non furandum, fornicandum &c. ergo etiam illa peccata, si tunc committantur, sunt posteriora naturâ Baptismo suscepto.

*Secunda.* Respondeo II. inde solum sequi, illud peccatum esse posterius naturâ voluntate Baptismi, jam autem per solam voluntatem non constituitur quisquam subditus Ecclesiæ, sed per realem susceptionem. Melius ergo dicitur, omnia peccata quæ positivè impediunt effectum Baptismi, æqualiter pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæris à me, an etiam æqualiter pertineant peccata mortalia & venialia? Respondeo & dico:

**CONCLUSIO II.**

Peccatum veniale se solo, etiam sapius virtute Clavium remissum, est materia sufficiens Absolutionis; non nisi mortale, nunquam per Absolutionem directè remissum, materia necessaria.

*38. Veniale se solo esse materiam Absolutionis probatur ex Concilio Trid.* Prima pars, videlicet, Peccatum veniale se solo esse materiam sufficiens Absolutionis, haud obscure colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 5. ibi: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam rectè & utiliter, citràq. omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citrà culpam, multisq. aliis remediis expiari possunt. Idem docet can. 7. Si quis dixerit .... non licere confiteri venialia; anathema sit.*

*& Leone X.* Concilio Trid. præluxerat Leo X. in Bulla *Exurge Domine* 40. apud Cherubinum, ubi inter cæteros articulos Lutheri, quos damnat, octavus est qui sequitur: *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.*

Et fanè quid aliud significant verba generalia Christi, quibus instituit Sacramentum Pœnitentiæ: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Quæ utique generaliter intelligenda sunt, ubi nihil obstat.

Dices; obstat hic, quod Concilium nullibi expressè definiat, peccatum veniale se solo id est, separatim ab omni peccato mortali, esse materiam sufficiens, quod profectò fecisset: si verba Christi tam generaliter intellexisset, prout nos intelligimus, aut debere intelligi prætendimus. Proinde licet peccatum veniale possit subijci Clavibus Ecclesiæ, equidem non separatim ab omni peccato mortali; sed oportet semper adijungere peccatum aliquod mortale, vel novum, vel certè antiquum jam pridem confessum & absolutum.

Hæc videtur Aliquorum imaginatio, quam tamen non vidi typis evulgatam ab aliquo Auctore Scholastico; & ut verum fatear, carer omni fundamento, ac opponitur communi praxi omnium timoratorum, quam indubiè Ecclesiæ prohiberet, si judicaret omnes illas Confessiones fore sacrilegas.

Respondeo itaque ad Concilium Tridentinum, nullibi quidem expressis verbis dicere, peccatum veniale se solo utiliter confiteri posse, sed etiam nusquam vel in minimo verbo significat, necessariò semper confitendum esse peccatum mortale, nisi in sensu infra tradendo.

Cum ergo expressè definiat, peccatum veniale esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & respectu ipsius, etiam separatim ab omni peccato mortali, partes hujus Sacramenti, scilicet Contritio, Confessio & Satisfactio locum habere possint, ut etiam Absolutio, cum sit vera offensa Dei, digna poenâ temporali Purgatorii, nullum omninò est fundamentum negandi, peccatum veniale se solo validè & licitè posse absolvi; negandi, inquam, contra communem praxim pœnitentium & Confessoriorum.

Quod probè intelligens Doctor Subtilis Scotus, 4. dist. 17. q. unicâ n. 32. in fine sic ait: *Ad aliud dico, quod simpliciter innocens à mortali & veniali, reueter simpliciter non confitetur. Unde si B. Virgo fuisset confessæ Petro post Ascensionem, peccasset confitendo. Sed si est tantum innocens à mortali, potest confiteri venialia, & potest non confiteri .... Nec est incredibile, multos esse tales in Ecclesia, qui per annum vivunt sine mortali, immo per Dei gratiam multi magis tempore sine peccato mortali se custodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis thesaurus Ecclesiæ congregatur.*

Si dixeris; Deus dedit æqualem potestatem remittendi peccata, & retinendi peccata; sed non dedit potestatem retinendi peccata venialia; ergo nec remittendi.

Respondeo; ex nullo verbo Scripture proba-

probat illa æqualitas respectu omnium peccatorum. Et verò ratio disparitatis petenda est ex materia subiecta; cùm enim peccatum veniale non necessarîo remittatur in hac vita, sed aliquando post mortem, secus peccatum mortale, quid mirum si Sacerdos majorem habeat potestatem retinendi peccata mortalia, quàm venialia?

Ceteroquin aliquam habere potestatem retinendi, etiam sola venialia, patet inde; quia potest negare eorum Absolutionem homini non ritè disposito; potest quoque imponere pœnas ea ritè confitentibus.

Neque majorem habet potestatem retinendi peccata mortalia, semel virtute Clavium directè remissa; si ergo sufficiat Confessio mortalis peccati, jam pridem Sacramentaliter ac directè absolvi, etiam sufficere debet Confessio peccati venialis separatim ab omni mortali, tamen si lapsus fuisset virtute Clavium directè remissum, quæ est secunda pars conclusionis.

Eam ipsuatur Benedictus XI. in Extravag. Inter cunctas de Privileg. ibi: Ceterum licet (sicut prædicitur) de necessitate non sit, eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubescendum, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre.

Et quamvis, ut arbitror, loquatut de peccatis mortalibus; æquidem par ratio est peccatorum venialium; ut patebit sectione sequenti, ubi de sentis horum verborum: Ego te absolvo. Etenim si aliquid obstat iteratæ Absolutioni peccatorum, seu mortalium, seu venialium, est significatio formæ hujus Sacramenti, quæ apparet falsa respectu peccatorum, prius virtute Clavium directè remissorum; sed multa aliter primâ fronte apparent, quàm à parte rei sunt. Interim sensus & praxis communis timoratorum favet nostræ conclusioni.

Neque repugnat Scotus 4. dist. 19. q. univ. c. 31. ubi sic ait: Videtur probabilis, quod secunda Absolutio, virtute Clavium nullam partem pœne remittat. Nam hic fugere ad partes eisdem quantitatis, vel eisdem proportionis, nihil est: quia non est ratio, quare secunda Absolutio non potest auferre partem eisdem quantitatis, si quam possit. Nec mirum si nullam potest, quia illud iudicium, semel latum sine errore, Deus ratificat in Cælis, quod est irrevocabile: ergo rationabile est, quod sic ratificetur, quod sit irrevocabile.

Hæc, inquam, non repugnant communi sententiæ de iterata remissione eorumdem peccatorum: nam continuò subiungit: Non dico, quod illicitum, vel impossibile sit iterari (Sacramentum Pœnitentiæ) sed tamen cum fructu isto, quem tunc habet, non est iterabile. Non disputat hic Scotus, an iterata Absolutio eorumdem peccatorum sit licita vel possibilis; quip-

pe, ut vides, in terminis id concedit; sed tantum quærit, an iterata illa Absolutio, plus & plus de pœna remittat.

Supponit Doctor, potestatem Clavium se extendere ad pœnam temporalem; & cùm dicitur, quod ergo possit totam pœnam remittere, negat Consequentiam. Quia, inquit supra n. 30. aliquod est medium determinatum secundum rectam rationem, in quo stando, remittit ritè, sed non ultra.

Et cum dicitur (objicit sibi ipsi) quod saltem per plures Absolutiones remitteret, hoc tangit hanc difficultatem, an iterata Confessio eorumdem peccatorum vi Clavium plus & plus de pœna remittat.

Ad hanc difficultatem respondet primò: Videtur probabile quod sic: quia eiusdem rationis est Absolutio secunda cum prima: ergo potest eandem virtutem habere respectu alicuius partis pœne remittende; & per consequens per aliquot Absolutiones finitas, cum culpa illa habeat partitionem in partes finitas, possit totaliter remitti; siquidem omne finitum per ablationem partium finitarum, aliquoties sumptarum, totaliter consumitur.

Hæc opinioni adhaeret Suarius disp. 18. Sect. 1. n. 10. dicens: Nullum inconveniens est, quod per iteratam Confessionem ejusdem peccati, tota pœna illi debita tandem remittatur: immo hic fortasse est unus finis talis institutionis; ideo enim concessum est, ut eadem peccata lapsius possent esse materia Confessionis, ut perfectior eorum remissio comparari posset, & ut ita inducerentur homines ad eorum Pœnitentiam sepiùs agendam. Hæc ille.

Nihilominus Scoto probabilis videtur, quod secunda Absolutio nullam partem pœne remittat, eo semper salvo, quod in primo Sacramento imposita fuerit condigna Satisfactio pro remissione totius pœne temporalis. Quæ suppositio patet ex textu ibi: Nec mirum, si nullam potest, quia illud iudicium semel latum sine errore; Deus ratificat in Cælis, quod est irrevocabile. Ergo si commissus fuerit error, id est, non fuerit imposita condigna Satisfactio, secunda Absolutio ex mente Scoti poterit remittere aliquam partem pœne temporalis, quæ videlicet per primam Absolutionem non fuerat remissa.

Hoc videmus, inquit Doctor supra n. 31. in sententiis definitivis in foro litigioso, quibus absolvuntur accusati, quando inveniuntur innocentes: nec postea replicatur inquisitio, ut sit processus in eadem causa, nec si replicaretur, per illam secundam sententiam ille absolveretur, sed per primam: qui enim solutus est, amplius non absolvitur, quia nullus solvitur nisi ligatus. Ergo loquitur in casu, quo per primam Absolutionem, pœnitens solutus fuit ab omni pœna temporali.

Quod non advertens Suarius supra, respondet ad hoc simile: Neque oportet servari in

H h h omni-

46. Potestas Clavium extendit se ad pœnam temporalem Scotus.

An per plures absolutiones remittatur tota pœna?

47. Probabile est quod sic. Scotus.

Hæc opinioni adhaeret Suarius.

48. Probabilis videtur Scoto, quod 2. absolutio nullam partem pœne remittat.

Argumentum a similibus.

49. Responsio Suarii.

omnibus similitudinem inter hoc iudicium, & iudicium humanum in externo foro, in qua proportione & similitudine fundatur Scotus: quia in humano iudicio tantum intenditur liberatio ab exteriori poena, & expeditio litis juxta probationem externam: at verò in hoc iudicio intenditur interior fructus animae, & sanitas ejus, quae potest crescere juxta dispositionem in poenitentis. Hucusque Suarez.

Sed nunquid id negat Scotus? Neutiquam. Alioquin quomodo rectè diceret, quòd non sit illicitum tali casu iterari Sacramento? Non negat ergo omnem fructum Sacramento iterato, sed fructum remissionis poenae temporalis, ex hypothefi, quòd per primam Absolutionem, & condignam Satisfactionem, tota poena temporalis fuerit remissa.

Interim placet audire Vasquezium de eadem re. Hic Auctor 3. parte q. 91. a. 3. dub. 7. sic scribit: Scotus in 4. dist. 19. q. 1. §. Ad quaestionem motam d. 18. verficulo Ad argumenta in solutione primi, & Gabriel in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. dub. 3. qui Scoti sententiam probabilem existimat, huic sententiae (videlicet, utiliter posse nos eadem peccata saepius confiteri) contradicunt, concedentes licere repetere illa peccata, quae quis semel confessus est, asserunt tamen nihil poenae temporalis, quae illis debebatur remitti virtute Absolutionis, & hoc probabilis existimant.

Sed, ut jam dixi, si Claves in illa peccata nihil operantur remissionis poenae temporalis ex opere operato, signum est, illa non esse jam legitimam materiam Sacramenti; sicut nec peccata commissa ante Baptismum; & ita nulla alia peccata, quam illa confiteri, esset impedire omnem effectum Sacramenti; si enim ex opere operato Absolutio nihil remittit temporalis poenae, similiter nihil gratiae conferet: uterque enim est effectus illius, & remittere aliquid poenae temporalis juxta mensuram dispositionis, & juxta eandem conferre gratiam, & hic praecipuus. Si ergo, cum illa peccata sint materia Confessionis per se, non sequitur effectus minus principalis, non sequitur principalior, & ita omnino Absolutio evacuetur. Unde, ut dixi, consequenter dicendum est, non licere, si sine fructu Clavium ea confiteremur.

Unde Scotus, cum dicit, licere illa iterum confiteri, non ita planè constat, an dicat, illa solum licere exhibere materiam Absolutionis, vel cum aliis non absolutis; sic enim non dubium esset licere, etiam circa illa peccata non sequatur effectus aliquis Clavium.

Ego verò existimo cum praedictis Doctoribus, illa sola licite posse nos confiteri, & esse sufficientem materiam Confessionis, & Absolutionis. Unde sequitur primò ..... dicendum esse, Absolutionem tunc remittere

de poena temporalis juxta mensuram dispositionis recipientis; si verò sit omnino remissa poena temporalis, nihil de illa remittit; sicut nec culpam, quando jam dimissa est priori Confessione, aut Contritione; semper tamen infundit Absolutio gratiam, aut gratiae augmentum, quae remitteretur culpa, si esset, quae tamen magis purgatur homo contra reliquias peccatorum, hoc est, fortior evadit. Hucusque Vasquez.

At nunquid Scotus usquam negavit, Absolutionem semper infundere gratiam, aut gratiae augmentum? Nulquam certè: Sicut Baptismus Fluminis, inquit n. 32. non habent prius gratiam conferri, & habent augeri, & frequenter in adultis praecedit Baptismus Fluminis, si tamen non praecedat; id in parvulis, conferretur per Baptismum prima gratia: ita frequenter hic adulti per Attritionem, tanquam per meritum de congruo, iustificantur, antequam confiteantur..... & tunc in susceptione Sacramenti augetur eis gratia.

Nonne Scotus aliquando negavit, Absolutionem secundam non remittere poenam temporalem, quando prima Absolutio propter errorem non remisit totum, quòd aliquando ex poena temporalis, secundum ordinationem divinam, remisisset? Nunquam profectò. Quid ergo?

Docet primò, quòd Clavè non errante, tota poena temporalis remittitur per primam Absolutionem, & ideo secunda Absolutio nihil remittit, quamvis conferat augmentum gratiae.

Docet II. Clavè errante, id est, non servante aequalitatem in poenitentia injuncta, poenitentem posse absolvi à poena ab alio, cui se submittit, idque virtute Clavium per impositionem Poenitentiae aequalis. Si nihil (inquit nu. 31.) se submittere Confessori laici (supple, ad effectum Absolutionis à poena temporalis) nec per industriam suam sufficit ad hoc, quòd iudicet de poena hac, si sit condigna culpa, an non; servet poenam sibi impostam, necne si sibi videatur excedere poenam condignam, si autem videatur sibi deficere, tunc est aliud alium Confessorem prudentem, quam exponere se Purgatorio. Supponit ergo, in casu, quo non injungeretur poenitentia sufficiens, eum posse absolvi à poena debita, per alium Confessorem.

Si autem à me quaeritur, quomodo igitur intelligendum, quòd Scotus ait num. 30. Et cum dicitur contra primum, quòd tunc possit totam poenam remittere; nego; quia aliud est medium determinatum secundum rectam rationem, in quo stando remittit rectè, sed non aliter.

Respondeo; libentis discò, quam dico, ne audeam docere, quòd nescio. Fortè loquitur de remissione poenae, quam Sacramentum

Scotus non negat omnem fructum Sacramento iterato.

50. Sententia Vasquezii de hac re.

Si a. absolutio nihil remittit poenae temporalis, similiter nihil gratiae conferet.

Quod Vasquez inreligit, dummodo non omnino poena remissa sit.

causat hoc ipso, quo essentialiter perficitur, sine ordine ad Satisfactionem, & illam vult esse determinatam à Deo ad certam quantitatem, ultra quam Sacramentum, quantumcumque iteratum circa eadem peccata, nihil remittat.

Quæ videtur fuisse sententia Doctoris Seraphici 4. dist. 18. p. 1. a. 2. q. 2. in fine ubi sic ait: Ad illud, quod obicitur, quod si quodlibet (Sacramentum Pœnitentiæ) remittit partem (pœnæ) tunc videtur, quod tota aliquando remittatur. Dicendum, quod primus Sacerdos, cui confitetur, si paratus est, totum remittit de ipsis culpis, quod per vim Clavium debet remitti, & ideo alius non remittit. Bonum est tamen alteri confiteri, tum propter instructionem, tum propter maiorem certitudinem, tum propter eius intercessionem, tum propter reverentiam meritum & arctam Satisfactionem, & humilitationem; tum denique propter effectum gratiæ sanctificantis, quem non enumeravit D. Bonaventura, quia communis est omnibus Sacramentis, & de illo nulla erat inter Doctores Catholicos controversia isto loco.

Nota autem illam particulam, Si paratus est, scilicet pœnitens, qui confitetur; quæ insinuat fieri posse, ut propter aliquam indispositionem, primus Sacerdos non totum remittat de ipsis culpis, id est, de pœnis temporalibus, quod per vim Clavium debet remitti, & ideo tunc alius remittit.

Ceterum ad argumentum Vasquezii supra: Si non sequitur effectus minus principalis, scilicet remissio pœnæ temporalis, non sequitur principalior, puta gratia sanctificans. Respondeo negando Conseq. Et instantia clarissima est in Sacramento Extremæ Unctionis, cujus effectus principalior est mentis sanatio, minus principalis sanatio corporis, nec tamen valet hæc Cōsequentiā: Non sequitur sanatio corporis, ergo non sequitur sanatio mētis.

Dices: disparitas est, quod sanatio corporis non sit effectus infallibilis. Respondeo; unde constat quod remissio totius pœnæ temporalis sit effectus infallibilis? Potuit ergo fieri (& fortè sic factum est) ut Deus taxaverit certam quantitatem pœnæ, remittendam per Sacramentum Pœnitentiæ, independentem ab omni Satisfactione, quæ proinde remissa per primam Absolutionem, quid miraris, si secunda Absolutio nihil remittat, cum inveniat totum effectum minus principalem jam productum? Ergo non conferet effectum principaliorē, quem non invenit productum per primum Sacramentum, negatur Cōsequentiā. Atque hæc satis de secunda parte Conclusio.

Tertia pars duplicem habet propositionem exponentem. Prima: Peccatum mortale, nunquam directè remissum, est materia necessaria. Secunda: Nullum aliud peccatum est materia necessaria.

Incipio ab ultima. Et quidem veniale peccatum non esse materiam necessariam; expref-

ssimis verbis docet Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. ibi: Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur &c. taceri (in Confessione) citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt. An per accidens aliquando possit esse obligatio confitendi peccata venialia, inferius examinabimus, ubi de præcepto Confessionis.

Quæ autem venialium, eadem est ratio mortalium; quæ aliquando directè remissa fuere per hoc Sacramentum; nimirum, quam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur; quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam posse, quod non minus piorum hominum usus demonstrat.

Herculè non est asserenda necessitas materiæ absque evidenti signo voluntatis divini, à qua sola dependet necessitas hujus Sacramenti. Ubi autem significavit Deus voluntatis suæ esse, ut fideles, jam pridem reconciliati virtute Clavium, idque directè & per se, rursus reconcilientur, tamen acceptam gratiam perpetuò conservaverint?

Itaque definitio Concilii Tridentini ibidem can. 7. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia &c. anathema sit. Sufficenter verificatur, & verificari debet de solis peccatis mortalibus, nunquam antea directè remissis virtute Clavium. Et sic patet prima propositio exponens.

Rogat aliquis, quare addam ly Directè? Item ly Virtute Clavium? Respondeo ad primum; quia universalis Ecclesiæ consensus semper intellexit, peccata oblita, vel ex justa causa non expressa in hac Confessione, & nihilominus in eadem inclusa, ad eoque per Absolutionem aliquo modo remissa, equidem exprimenda esse in alia Confessione, si occurrerint memoriæ, vel justa causa non exprimenti cessaverit. De quo latius infra, ubi de integritate Confessionis. Sufficiat hic illum esse communem sensum Doctorum, & oppositum damnatum & prohibitum fuisse ab Alex. VII.

Secundam particulam addidi; quia docet Trident. sess. 14. c. 4. Est Contritio aliquando charitate perfectam esse contritæ, hominemq; Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Similiter sess. 6. c. 14. clarè pronunciat, Christiani hominis Pœnitentiam post lapsam multo aliam esse à Baptismali; eaq; contineri non modo cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacramentalem Absolutionem. Itaque non sufficit remissio peccati qualicumque; sed requiritur remissio seu reconciliatio virtute Clavium, ut materia desinat esse necessaria, H h h 2 Finio

est materia necessaria.

Pater ex Conc. Trid.

57. Eadem est ratio mortalium &c. mel directè absolutum.

Explicatur can. 7. sess. 14. Concl. Trid.

58. Peccata oblita debent expiari in alia Confessione.

59. Uti etiam peccata, remissa per Contritionem, postea exprimenda sunt in Confessione.

Ablo- aut gra- ient Ba- penti pri- frequen- tibus Ba- vici; de- rima gra- or, ante- rione Sa- Ablo- pœniam- pro od- ordin- am pro- errantē; primam- utio n- mentum- non fer- juncti- b alio- ium per- Si mult- sifori- ali- a pena- sicut ad- condigna- u, maxi- adignam- est adre- ponere se- no non- m posse- confessa- o igitur- n. 30- ue possit- aliquo- am 74- non ul- dico- loqui- entum- causat

60. Finio verbis Doctoris Subtilis 4. dist. 17. q. 1. n. 19. *Continet etiam hoc præceptum, Quod debet confiteri, quia peccatum mortale, & non continet aliud: nam per veniale nullus periclitatur extra navem Ecclesiæ: quia peccatum veniale stat cum perfecta Charitate, quæ est navis salvans, & ideo ex prima institutione Pœnitentiæ ut secunda tabule, non oportet aliquem ad eam confugere pro remedio contra veniale, sed tantum contra mortale.*

Quæ ratio-  
ne pecca-  
tum mortale  
dicatur  
materia nec-  
cessaria.

Dicitur ergo peccatum mortale materia necessaria, non quia sine illo nequeat confici hoc Sacramentum, contrarium enim patet ex prima parte Conclusionis; sed quia istud necessarium debeat subijci Clavibus Ecclesiæ, directè remittendum per Absolutionem Sacramentalem, estò etiam priùs per Contritionem charitate perfectam, aut per Absolutionem Sacramentalem indirectè foret remissum. Cætera huc pertinentia, alibi commodius explicabuntur, ubi de præcepto, & integritate Confessionis. Impræsentiarum transeamus à materia remota usque materiam seu quasi materiam proximam hujus Sacramenti, pro qua instituo sequentem Conclusionem.

### CONCLUSIO III.

Quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentiæ Contritio, Confessio, & Satisfactio. Contritio quidem & Confessio partes quasi essentialis, Satisfactio autem pars integralis.

61. Quare actus  
Pœnitentiæ  
Contritio  
&c. vocen-  
tur materia  
proxima  
Sacramen-  
ti.

Vocantur illi actus materia proxima, quia immediatè applicant materiam remotam, & determinantur immediatè à forma. Nam, ut supra notavimus, Contritio Sacramentalis est dolor de peccato; Confessio accusatio de peccato, & Satisfactio vindicta de peccato; neque peccatum determinatur à forma, nisi cum debito dolore accusatum; & Pœnitentiâ per Sacerdotem impositâ vindicatum; veluti aqua in Baptismate non determinatur à forma Baptismatis, nisi ut applicatâ per Ministrum. Hoc supposito,

Probatur  
Concl. ex  
Concl. Flo-  
rent.

Patet Conclusio ex Florentino in Decreto Eugenii ibi: *Quartum Sacramentum est Pœnitentiæ, cuius quasi materia sunt actus pœnitentiæ, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis Contritio &c.* Vide supra in principio Sectionis. Et ex Tridentino sess. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsi us pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio.*

62. Satisfactio  
non est pars  
intrinseca

Quod autem omnes hi actus non sint materia intrinseca & essentialis, nimis manifestum est, ut indigeat probatione; nam quotquot

sunt Theologi, velint nolint fateri debent, & Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter perfici posse, & sapè sapiùs, immo ordinariè perfici priùs, non solum naturâ, sed etiam tempore, quàm impleatur Satisfactio. Quomodo ergo Satisfactio materia intrinseca, & essentialiter componens Sacramentum Pœnitentiæ? Immo quomodo materia, cum materia videatur debere præcedere formam, Satisfactio autem ordinariè sit posterior formâ Absolutionis?

Respondeo; sufficit hîc ad materiam, quod determinatur à forma suo modo determinetur, & quod suo modo Sacramentum saltem integraliter componat, prout facit Satisfactio, dum à forma accipit virtutem delendi penas temporales ex opere operato, & ab ea contrahit necessitatem ut impleatur.

Nonne etiam in aliis Sacramentis, v. g. in Baptismo, Confirmatione &c. priùs potest proferri forma, quàm applicetur materia? Potest omninò; idque quia Sacramenta sunt res quedam morales, vel quasi artificiales, quæ diversum modum habent compositionis à rebus physicis & naturalibus. Quamquam & in composito naturali, non semper omnes partes materiae præcedant formam, ut patet in homine v. g. qui post infusionem animæ, per nutritionem accipit novas partes substantiæ.

Fateor, præter verba Absolutionis, requiruntur alia verba formalia, vel virtualia, v. g. *mittis, aut alia signa*; quibus Satisfactio imponitur, nego tamen illa verba esse formam, & dico, potius pertinere ad materiam; ac intelligi sub nomine Satisfactionis, quo utique nomine non intelligitur opus pœnale secundum se, sed impositum à Confessario.

Determinatur porò illud opus, & à verbis, quibus imponitur, & à forma Absolutionis, sed diverso modo; nam per priora determinatur solum in ratione obligationis, quia illa verba solum significant pœnitentem obligari à Confessario ad tale opus; non autem per tale opus liberari ex opere operato à pena temporali; sed hoc postremum significatur per formam Absolutionis; quippe per hæc significat Sacerdos se liberare pœnitentem à peccatis quantum potest, id est, quoad culpam & penam temporalem restantem.

Verba itaque, quibus Pœnitentiâ imponitur, sunt quasi forma operis, impositi in ratione obligatorii, illud autem opus ita impositum, materia respectu formæ Absolutionis, quæ est forma in ratione operis Satisfactionis ex opere operato, adeoque absolute formæ Sacramenti.

Si dixeris, impositio pœnæ est sententiæ. Respondeo, inchoata; completa autem & perfecta, ipsâ Absolutio, in tantum, ut si Pœnitentiâ nulla imponeretur, vel ex inadvertentiâ, vel quia subiectum non est capax, v. g.

si pœnitens sit privatus usu rationis; nihilo-  
minus Absolutio valeat in ordine ad remissionem  
culpæ, quæ non potest pendere à condi-  
tione futura, ut infra latius explicabimus.  
Igitur sine Satisfactione hoc Sacramentum  
essentialiter subsistit, non tamen omnino seu  
integraliter completè. Nam finis Sacramenti  
est plena & perfectâ peccati remissio, tam  
quoad culpam, quam quoad pœnam omnem tem-  
poralem, ad quem finem seu effectum requi-  
ritur Satisfactio.

Hinc Tridentinum supra: Qui (actus pœ-  
nitentis) quatenus in pœnitente ad integritatem  
Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum  
remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hæc  
ratione pœnitentia partes dicuntur.

Ad integritatem, inquam; Sacramenti:  
adeoque ex his verbis nequitiam probatur,  
Contritionem, & Confessionem esse partes  
intrinsicè componentes hoc Sacramentum,  
quemadmodum ablutio v. g. est pars intrin-  
sicè componens Sacramentum Baptismi; nam  
eodem proflus modo loquitur hic Concilium  
de Satisfactione, quam tamen, ex omnium ju-  
dicio, constat non esse talem partem.

Et fortè idcirco actus pœnitentis non sim-  
plicitè vocavit materiam, sed cum addito: Quasi  
materiam. Quamquam nonnulli putent, id fa-  
ctum fuisse; quia hic actus non sunt substantia  
sensibilis, veluti materia Baptismi, v. g. aqua;  
materia Confirmationis; v. g. Chrisma &c.

Quidquid sit de hoc (nam peccata ipsa satis  
proprie, & vulgò vocantur simpliciter mate-  
ria Confessionis, & non quasi materia; tam-  
en non sunt substantia aliqua sensibilis) cla-  
rissimum est ex verbis jam allegatis, sive Con-  
cilio Florentini, sive Tridentini, non dico  
non evidentè inferri, sed ne obscurè quidem  
colligi, Contritionem aut Confessionem esse  
materiam intrinsicè componentem hoc Sacra-  
mentum; quippe æqualiter respiciunt Satis-  
factionem, quæ tamen, communi calculo,  
non est talis pars.

Unde his Conciliis non opponitur Scotus  
4. dist. 16. q. 1. n. 7. dicens: De Pœnitentiâ  
Sacramento dico, quòd ista tria (Contritio, Con-  
fessio, & Satisfactio) nullo modo sunt partes eius.  
Intelligit quippe partes essentielles, & intrin-  
sicè componentes; ut patet ex probatione;  
quam subnectit: Quia, ut dictum est dist. 14.  
Pœnitentiâ Sacramentum est illa Absolutio Sacra-  
mentalis, facta certis verbis &c. Huius autem nulla  
pars est Contritio, quæ est quoddam spirituale in  
anima: neque Confessio, quia nihil est ipse sen-  
tentia; Sacerdotis; sed actus rei accusantis se;  
neque Satisfactio, sed sequitur illam Absolutionem  
Sacramentalem.

Et prosequitur: Hæc tamen tria ad Sacramen-  
tum Pœnitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur, requi-  
runtur vel prævia, vel sequentiâ. Simpliciter enim  
requiritur Confessio; quia Sacerdos non absolvit

reum arbitrarè, nisi prius reus sibi fuerit accusatus  
in foro illo. Non est etiam utilis illa Absolutio, nisi  
præcedat in consistente aliqua Contritio, vel Attritio.  
Partes istius distinctionis patent ex dictis supra; suffi-  
cit enim quòd aliqua displicentia, licet informis,  
præcedat, & tunc ille capax est Absolutionis Sacra-  
mentalis: & per illam sit Contritio.

Satisfactio autem debet sequi Sacramentum Pœ-  
nitentiæ, ad hoc ut habeat efficaciam, & hoc in re,  
vel in voto; nisi iudex possit perpendere, illas penas  
alias præcedentes sufficere ad totam penam solutio-  
nem. Ista enim sententia Sacerdotis sic absolvit, quòd  
tamen ligat. Absolvit quidem à debito pena æter-  
nae, sed ligat ad solutionem penæ temporalis, nisi sit  
sufficenter iam soluta: ipsa etiam vel nullo modo ab-  
solvit, vel saltem non efficaciter, nisi ille reus sit in  
se debito modo dispositus, quia Sacramentum est  
signum Absolutionis interioris, quæ interior non con-  
comitatur, nisi sit debita dispositio in mente interiori  
absolvendi.

Doctrina planè consona Concilio Triden-  
tino, quod non simpliciter asserit, illa tria esse  
partes Sacramenti Pœnitentiæ (unde bene id  
negatur à Scoto) sed cum hac limitatione:  
Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti,  
ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem  
ex Dei institutione requiruntur. Et verò quid aliud  
Scotus clamat quàm illa tria ex institutione  
Dei requiri ad integritatem Sacramenti, ad  
plenamq; & perfectam peccatorum remissio-  
nem, tam quoad culpam; quam quoad om-  
nem penam temporalem? Verba ejus sunt  
apertissima.

Et quamvis non dicat, hæc ratione partes  
Pœnitentiæ appellari posse, etiam non negat,  
aut prohibet sic appellari. Sed neque Conci-  
lium Florentinum sic appellat; sed inquit:  
Cuius (Sacramenti Pœnitentiæ) quasi mate-  
ria sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur  
partes: illas autem tres partes, esse partes;  
& maximè intrinsicè ipsius Sacramenti, nul-  
lum verbum vel remotè significat præter illud,  
Quasi materia.

Quantum ergo ad rem ipsam attinet, com-  
muniter omnes Catholici in hoc conveniunt,  
quòd Sacramentum Pœnitentiæ non solum  
illicite, sed proflus invalidè ministratur, ubi  
nullus præcessit dolor in pœnitente, aut certe  
nulla Confessio; validè autem, tamen si bonâ  
aut malâ fide nulla omnino injungatur Satis-  
factio.

An autem propterea Contritio & Confessio  
sint, & vocari debeant partes intrinsicæ &  
essenciales, Satisfactio autem pars tantum in-  
tegralis, non convenit inter ipsos quantum  
ad Contritionem & Confessionem, quos actus  
Nonnulli existimant esse materiam intrinse-  
cam & essentialiter componentem cum forma  
Absolutionis hoc Sacramentum; Aliis asseren-  
tibus tantum esse condiciones sine quibus non,  
sive essentialiter prærequisita, ut forma Sacra-  
mentaliter

H h 3

67.  
Sed planè  
eis consona  
nat.

68.  
Sacramen-  
tum Pœnitentiæ  
absque dolo  
& confes-  
sione  
est invalidum,  
secus  
sine satisfac-  
tione.

An ideo  
Contritio  
& Confessio  
debeant vo-  
cari partes  
intrinsicè  
componentes?

mentaliter significet, veluti ad omnia Sacramenta requiritur intentio Ministri facienti, quod facit Ecclesia, & alia plura, de quibus egimus disp. 1. sect. 1. concl. 1.

69. Quæstio ergo pro maxima parte est de nomine: in qua malumus loqui cum Scoto, & dicere, Penitentiam Sacramentum in recto solum importare Absolutionem Sacramentalem, connotando in obliquo cætera omnia per modum conditionum prærequisitarum. Ratio est; quia hoc Sacramentum est institutum per modum condonationis & remissionis; quando autem unus homo condonat offensam aut debitum alteri, tota auctivitas & efficientia videtur esse in ipsa condonatione; & licet ad eius valorem prærequiratur debitum, vel offensa condonanda, illud tamen prærequisitum videtur se habere ex parte materiae, non ex parte efficientis.

Unde concipiendum activitatem hujus Sacramenti per species illius remissionis humanæ, videtur concipere totam auctivitatem tenentem se ex parte Absolutionis & remissionis; & licet reverà Absolutionis verba non habeant ex se efficaciam completam, quando non præcedit Confessio, & alia requisita, concipimus tamen ex parte modi concipiendi illa omnia per speciem dispositionum; unde cum in usurpatione nominum sequamur plerumque modum concipiendi, & habeamus similem modum significandi, non mirum, si per hoc Sacramentum significamus directè solam Absolutionem, connotando in obliquo cætera omnia. Ita discurrit Lugo disp. 12. n. 58.

70. Quapropter non possum satis mirari, quod apud eundem Auctorem lego ibidem n. 20. Scoti sententiam, negantem illas esse partes intrinsecas, sed solum requiri tanquam dispositiones, non pauci Theologi graviore censurâ afficiunt. Cajet. infra q. 90. art. 2. ait, esse erroneam: Alii dicunt esse temerariam: Alii plus quam temerariam.

Alii in bonum sensum conantur verba Scoti trahere, ut Angles, qui dicit, Scotum non negasse illas esse partes intrinsecas; sed solum negasse esse propriè materiam, quod videtur juxta modum loquendi Florentini & Tridentini, ubi dicitur illa quasi materia. Alii dicunt Scotum velle, quod Sacramentum non supponat in recto pro illis, sed solum pro Absolutione, connotando alias partes in obliquo. Alii ut Vega 13. in Trident. cap. 15. quod Scotus non negat illas esse partes integrales; sed solum negat esse partes essentielles. Hæc tamen explicationes difficilè aptantur Scoti verbis, ut consideranti patebit. Hucusque Eminent. qui si bene considerasset verba Scoti, facilè ipsis aptasset duas postremas explicationes.

71. Præclare Dicastillo hic disp. 4. n. 28. Scotus, inquit, in 4. dist. 14. docet, totam

essentiam illius (Sacramenti Penitentia) esse in Absolutione à peccatis. Probat; quia sola Absolutio totum effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum significat. Unde consequenter dist. 16. q. 1. docet, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem esse quidem necessarias ad hoc Sacramentum; duas priores tanquam quid prævium, ultimam vero tanquam quid consequens, ut poenam solvendam (si quæ restat) ablumat. In quo longe distat Scotus à Calvino, Melanchtone, & aliis ejusdem farinae; seu fursuris hominibus, qui negant requiri prædictas partes. Hæc ille; quia expendit verba Scoti.

Nulla ergo conventio sententiæ Scoti cum articulo 5. Lutheri, damato à Leone X. Bulla *Exurge Domine*, qui sic habet; *Tria esse partes Penitentia, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.* Non enim erat quæstio Lutheri de nomine partis, sed de re ipsa, an videlicet illa tria essent requisita ad veram penitentiam, qualem Christus instituit in nova Lege, ut patet ex articulis sequentibus.

Et reverà, si, ut Cardinalis supra admittit, hæc tria concipiuntur per speciem dispositionum; & non partium (estis partes forent) quid reprehensione dignum in Scoto, quod partes negaverit, & dispositiones sine requisita affirmaverit? Quippe locutus fuit secundum id, quod concipiebat. An fortè mentiam ipsi erat, & aliter loquendum, quam mente concipiebat?

Sed dicit Aliquis cum Lugone supra n. 59. Hoc Sacramentum institutum est à Christo per modum judicii: iudicium autem humanum intrinsecè constat non solum ex sententiæ Judicis, sed ex aliis actibus judicialibus, scilicet accusatione, examine, confessione &c.

Respondeo, & retorqueo argumentum: Sacramentum hoc institutum est à Christo per modum judicii: iudicium autem humanum essentialiter & in recto solum dicit sententiam Iudicis, per quam absolvitur, vel condemnatur reus, reliqua in obliquo connotat, tanquam necessariò prærequisita, ut possit iusta ferri sententia.

Sanè nemo dubitat, solam sententiam in iudicio humano significare absolutionem, vel condemnationem: ergo similiter in iudicio Sacramentali, sola sententia Sacerdotis significat remissionem peccatorum, & per consequens ipsa sola causat remissionem peccatorum, quia proprium est Sacramentis causare, quod significant; nam significando causant, ut patet ex definitione Sacramenti: *Signum prædicatum gratis.*

Quod autem sententia Sacerdotis significet remissionem peccatorum, omnes admittunt: *Quorum remisistis peccata*, inquit Christus

quem alii in bonum sensum conantur trahere. Anglus.

Vega.

Longè distat.



Joan. 20. remittuntur eis &c. Et verò quid aliud significant illa verba: Ego te absolvo à peccatis tuis? Docet Sancta Synodus (Tridentina) Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministris verbis positam esse. Ego te absolvo &c. less. 14. c. 3. Rogas quæ sit illa vis? Infrà explicat dicens: Sane res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.

Nec obstat ly præcipue, in quo fundant se Adversarii, quasi Concilium per illud voluisset significare, vim Sacramenti etiam in aliquo alio, præter formam, sitam esse; videlicet in Contritione, & Confessione. Non obstat, inquam, nam duplex responso adhiberi potest.

Prima: Vis Sacramenti Pœnitentiæ præcipue consistit in remissione culpæ, sive in reconciliatione cum Deo, ut patet ex verbis Tridentini mox allegatis; hæc autem consistit in sola absolutione sive sententia Judicis, juxta illud Trident. eadem less. c. 2. Ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotem sententiam, non semel, sed quoties ab admisis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Non ait, per Contritionem, aut per Confessionem possent liberari, sed, per Sacerdotem sententiam; ergo ipsa sola est, quæ liberat.

Eodem modo loquitur cap. 5. ibi: Ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi filiales ceciderint, quo pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant. Ubi rursùm soli sententiæ adscribit remissionem, aut retentionem peccatorum.

Et cap. 6. in fine (quod bene notandum est) Absolutionem vocat actum judiciale: Quamvis Absolutio Sacerdotis, alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel annuncians Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut iudice, sententia pronunciat. Similiter can. 9. Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale &c. anathema sit.

Sed nunquid alicubi vocat Contritionem aut Confessionem actum judiciale, aut anathema dicit illis, qui contrarium docuerint? Nullibi profectò. Igitur in forma seu sententia præcipue sita est vis hujus Sacramenti, id est, præcipua vis sita est, puta remissio peccatorum quoad culpam. Interim vis secundaria, id est, remissio culpæ quoad pœnam temporalem restantem, etiam suo modo consistit in Satisfactione, quatenus per Claves elevata.

Secunda responso erit; vim hujus Sacramenti præcipue sitam esse in forma, quatenus, etsi sola operetur, & ex opere operato confert remissionem peccatorum quoad culpam, equidem operari nequit sine applicatione

objecti per dolorosam Confessionem: veluti præcipua vis operandi, in causa dicitur consistere, etsi non sine applicatione. Constat, inquit Trident. less. 14. c. 5. Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse. Ubi clarè distinguit iudicium à cognitione causæ, adeoque à Confessione, quæ tantum est necessaria ad cognitionem causæ, eò quòd de facto homines non communicent, nisi signis sensibilibus.

Et licet Sacerdos per revelationem, aut aliàs cognosceret omnia peccata pœnitentis; equidem requisivit Christus Confessionem, tanquam medium ordinariè necessarium, nec voluit ut aliter Sacerdos posset iudicium hoc exercere. Quamquam aliquando in iudiciis humanis, quando crimina sufficienter notum est iudici, absque Confessione rei sententia Absolutionis, vel condemnationis solet pronunciarì.

Interim regulariter etiam in his iudiciis requiritur accusatio, vel iure naturæ, quando causa alioquin est incognita, vel certè iure positivo; non quasi in ipsa accusatione sita sit formaliter aliqua vis Absolutionis, aut condemnationis; sed ut iudex ritè iudicium exerceat pronuncians sententiam, in qua formaliter consistit tota vis.

Immo aliquando magis necessariò concurrunt prævia satisfactio partis læsæ; quæ tamen in hoc Sacramento, seu iudicio Sacramentali, nunquam debet præcedere; nec ad essentiam requiritur, quòd sequatur. Adeoque non in omnibus rectè argumentamur ab uno iudicio ad aliud, ut ex pluribus aliis in progressu clarior apparet.

Ceterùm fatetur Lugo suprâ n. 60. argumentum suum, desumptum ex iudicio humano, non probare, quòd dolor importetur in recto per hoc Sacramentum; cum ipse, inquit, non sit actus judicialis, nec pars aliorum iudiciorum.

Proinde aliud argumentum subjungit dicens: Cùm hoc Sacramentum institutum etiam sit per modum reconciliationis, unde aliquando hoc nomine solet appellari, apprehendimus etiam illud per species reconciliationis humanæ, quæ procul dubio constat ex voluntaria utriusque quasi revocatione, non solum ex parte offensi, sed etiam ex parte offendentis, qui eo ipso retractat offensam: reconciliari enim, est utrumque redire illuc, unde voluntariè discesserat.

Respondeo; revocationem offendentis tantum esse quid prævium seu dispositivum ad revocationem offensi, quæ est formalissimè reconciliatio seu remissio offensæ, adeo ut, si Deus veller, posset remittere peccatum, & hominem sibi reconciliare, absque ulla revocatione prævia offendentis.

Concilium Trident. less. 14. c. 4. Contritio, inquit,

cat culpam, non tamen sine applicatione obiecti per dolorosam Confessionem. Conc. Trid.

77. Regulariter etiam in iudiciis humanis requiritur accusatio.

78. Aliud argumentum Lugonis.

Responso, quòd revocatio offendentis tantum sit dispositivum ad reconciliationem.

79.

Probatio ex Trident.

inquit, quæ primum locum inter dictos penitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius, & in homine, post Baptismum lapsio, ita demum preparat (id est, disponit) ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Et infra: Docet præterea, esse Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliatorem, ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Quis non videt, interrogant Nonnulli, in istis verbis Concilium distinguere inter Sacramentum, & Contritionem? Quomodo ergo Contritio importatur in recto, & est pars essentialis Sacramenti?

80. Respondetur & explicatur ultima verba Concilii.

Respondent Alii; loquitur Concilium de Contritione seorsim, id est ut non subest formæ seu Absolutioni Sacramentali, & indubie sic non est pars essentialis Sacramenti, neque importatur in recto, & optimè distinguitur à Sacramento. quamvis ut conjuncta formæ, id est, ut subest formæ, possit & debeat dici pars essentialis.

Veluti si aliquis diceret; Ablutio pueri, antequam Sacramentum Baptismi actu suscipiatur, non causat remissionem peccati originalis, ex illa locutione non bene infertur; ergo ablutio pueri non est pars essentialis Sacramenti Baptismi, neque importatur in recto.

81. Respondetur aliquid Concilium dixit ablutio-nem in Baptismo præparare ad remissionem peccati originalis.

Optima responsio ad postrema verba Concilii. Sed quid ad prima? Num aliquando legitur in aliquo Concilio, Absolutio ita demum preparat ad remissionem peccati originalis, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjuncta sit, quæ ad ritè suscipiendum Sacramentum Baptismi requiruntur?

Deinde Tridentinum cap. 4. citato: *Declarat Contritionem imperfectam non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam Dei donum esse &c.* Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen enim ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Nunquid & ibi loquitur de Contritione seorsim, id est, ut non subest formæ? Num uspiam aliquod Concilium dixit, ablutio-nem disponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Baptismi?

aut disponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Baptismi.

Responderi posset, si nullum Concilium, saltem Scorus 4. dist. 1. q. 5. n. 17. ubi: *Ad primum dico, quod aqua abluit cor, id est, animam, non quidem causando dispositionem mediam inter ipsam, & gratiam abluentem, sed abluit tanquam dispositio proxima & immediata ad gratiam.* Et

verò ubi abluit, tanquam dispositio proxima id est, ubi disponit proximè ad gratiam, nisi in Sacramento Baptismi?

Utrumque ergo sit de hoc argumento, quod laborat in nomine, de re ipsa docet Concilium Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 6. Sacramenta novæ Legis continent gratiam; & gratiam ipsam non penitentibus obicem conferre. Si ergo Contritio est Sacramentum; aut pars essentialis Sacramenti, oportet ut non solum disponat, sed reverà significet, & conferat gratiam remissionem peccatorum, idque ex opere operato. Et idem argumentum fieri potest de Confessione. Ubi autem Christus instituerit Contritionem vel Confessionem, ad signifi-candam & causandam gratiam ex opere operato, planè ignoro.

Alioquin, dicit aliquis, ipse penitens foret partialis minister hujus Sacramenti, sicuti in Sacramento Baptismi, supposito quod sic esset institutum, quod plures possent eundem baptizare, unus applicando materiam, alter preferendo formam; qui ablueret foret partialis minister Baptismi: & per consequens, veluti ille, qui tunc ablueret, rectè diceretur baptizare, & conferre gratiam per Baptismum, ita de facto rectè diceretur, penitentem seipsum absolvere, & sibi ipsi conferre gratiam remissionis peccatorum.

Respondet Lugo supra n. 29. non requiritur, quod omnes Sacramenti partes causent gratiam; sed sufficit, quod illam causet Sacramentum per aliquam sui partem: hoc autem Sacramentum causat gratiam per solam Absolutionem Sacerdotis, in quo est potestas Clavium ad absolvendum, & ad destruenda peccata. Sicut, inquit Suarez disp. 18. sect. 2. n. 12. in naturalibus materia est de essentia ignis, quamvis tota activitas sit in forma.

Sed contra; essentia Sacramenti non est aliud, quam practica significatio gratiæ, id est, significatio & efficientia gratiæ; & ideo, quod non efficit gratiam, neque est Sacramentum, neque pars essentialis Sacramenti. At verò essentia ignis non est activitas, & ideo materia potest esse de essentia ejus, etiam tota activitas sit in forma.

Deinde si Sacramentum Pœnitentiæ per solam formam significat & causat gratiam; quidni etiam Baptismus, Confirmatio &c. non est enim major ratio de uno Sacramento, quam de alio, si omnia constant æqualiter materiâ & formâ, ut partibus essentialibus intrinsicè componentibus. Si ergo sola Absolutio significat, & causat gratiam ex opere operato, dico ego, illam solam formaliter & essentialiter esse Sacramentum, cum ipsi soli conveniat essentialis & formalis ratio Sacramenti.

Illam autem solam significare, & causare gratiam

gratiam ex opere operato, docet cum Scoto Andreas Vega (qui interfuit Concilio Trid.) de Justif. lib. 13. c. 15. dicens: Verissimum est, quidquid Alii sentiant, quod Doctor Subtilis, & communis Nominalium Schola defendit, solius Absolutionis virtute peccatoribus conferri gratiam pœnitentibus. Nam Claves solis Sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi debent remittere peccata, & per eorum Absolutionem confertur gratia confessis, absentibus omnibus aliis actibus ipsorum pœnitentium. Et sola Absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa, datur propter opus operantis. Hæc ille.

Et post pauca: Neque sic ponimus hæc (Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem) esse partes hujus Sacramenti, quasi Deus illis omnibus utatur ut signis & instrumentis efficacibus ad præstandam remissionem peccatorum, aut quasi omnia illa sint essentialia ipsius partes, & ad essentiam ipsius requirantur, sicut anima requiritur ad essentiam hominis. Nam ut prius (scilicet esse signum & instrumentum efficacis remissionis peccatorum) soli Absolutioni; ita hoc posterius (scilicet esse partes essentialia) solis perfectæ Confessionis & Absolutioni convenit. Hucusque Vega.

Sed (salvâ pace ipsius) si Deus non utitur Confessione ut signo & instrumento efficaci ad præstandam remissionem peccatorum, quomodo erit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; quod non est aliud quam signum & instrumentum efficacis ad præstandam remissionem peccatorum? Nunquid applicatio causæ est pars essentialis ipsius causæ; sicut anima est pars essentialis hominis? Nemo sic loquitur; quamvis sit aliquid necessarium requisitum, ut causa producat suum effectum. Ergo constanter Confessio, quæ non est aliud, quam applicatio materiæ circa quam, nec debet, nec potest propriè dici pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; sed solummodo aliquid essentialiter prærequisitum, id est, tale prærequisitum, sine quo essentia Sacramenti non potest subsistere.

Vega supra sic ait: Præter partes essentialia, sunt etiam alicujus torus aliqua tantum integrales partes, ad perfectionem ipsius & integritatem concurrentes, sicut oculus, lingua, digitus, integrales partes dicuntur hominis, quia ad integritatem ipsius & perfectionem concurrunt, licet sine ipsis possit homo consistere. Et tales partes hujus Sacramenti sunt Satisfactio, cessatio à peccatis, & Contritio, etiam modo largè accipiantur, & comprehendat sub se quemcumque, & qualemcumque dolorem de ipsis. Hactenus Vega.

Rectè quidem, quantum ad Satisfactionem & cessationem à peccatis; perpetam autem,

quantum ad Contritionem, si intelligat, nulum omnino dolorem esse necessarium, ut subsistat essentia Sacramenti Pœnitentiæ, cum, teste Trident. sess. 14. cap. 4. quovis tempore fuerit necessarius motus Contritionis, ad impetrandam veniam peccatorum, etiam in ipso Sacramento Pœnitentiæ; nam circa finem illius capituli ita legitur: *Quamobrem falso Quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium* (per quem intelligitur Contritio, ut patet ex contextu) gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.

Fortè Vega fuit in sententia quæ docet, dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ut videtur innuere verbis immediate subsequentiis. Hæc, inquit, tria requisita sunt ad Sacramenti hujus perfectionem & integritatem, & ut plenè & perfectè habeatur effectus ipsius. Unde sine his non confertur quis perfectè pœnitere.

Sed de hac opinione infra, ubi de dolore sacramentali. Ad præsens propositum sufficit, Deum neque Contritione, neque Confessione uti, ut signis & instrumentis efficacibus ad præstandam remissionem peccatorum. Ex quo Antecedente pato satis efficaciter inferri: ergo neque Contritio, neque Confessio sunt partes essentialia Sacramenti Pœnitentiæ, eò modo, quo ablutio v. g. est pars essentialis Sacramenti Baptismatis.

Hinc Suarius supra, utpote nobis Adversarius, negat totam significationem esse in forma; quia, inquit, licet verba formæ distinctius significant totum effectum, tamen etiam actus pœnitentis suam habent significationem: nam signa Contritionis sunt etiam signa interioris remissionis, & per Confessionem significatur, quod sicut peccata exterius manifestantur, ita etiam ab anima ipsa excludantur. Satisfactio etiam apertè significat remissionem pœnæ.

Respondeo, per Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem non magis significari remissionem peccatorum, quam per orationem v. g. quæ homo petit auxilium ad bene suscipiendum hoc Sacramentum.

Sola itaque Absolutio est, quæ assumitur ad significandam gratiam remissionem peccatorum. Veluti in judicio humano, accusatio non assumitur ad significandam remissionem, sed ad informandum Iudicem de causa, quo pro potestate sua, secundum æquitatem, Absolutionis, aut condemnationis sententiam pronunciet; quæ proinde sola significat remissionem, aut condemnationem.

Aliud est de ablutione in Baptismo; quippe per illam sordes corporis absterguntur, ac proinde rectissimè assumitur, & assumptæ censetur à Christo, ad significandam absterisionem sordium animæ.

iii Atque

87. Fortè Vega exstimavit dari posse Sacramentum validum, & informe.

88. Suarius patet, etiam Contritionem & Confessionem esse signa gratiæ.

Responsio auctoris

In iudicio humano accusatio non assumitur ad significandam remissionem

89. *Pariter docet Suarez, omnes partes materiales huius Sacramenti habere vim activam,*

90. *quam explicat,*

91. *& probat ex Concilio Tridentino.*

*& à paritate rationis ex aliis Sacramentis.*

Atque gratis admissio, quod Contritio, Confessio, & Satisfactio significarent remissionem peccatorum, non sufficit ad rationem Sacramenti novae Legis significare, sed oportet efficere ex opere operato, quod significatur. Quod probè intelligens Suarius supra n. 13. affirmat, omnes partes materiales huius Sacramenti, habere vim activam. Et ita, inquit, facile solvitur argumentum Scoti, negando Assumptum.

Prorsus facile solvitur, si affirmare efficaciam, idem est, quod illam probare; sed quia difficulter illa probatur, ideo difficilè solvitur argumentum Scoti, negando Assumptum. Vis autem videre, quam difficulter Suarius probet hanc efficaciam?

Supponit in primis, ante Absolutionem perfectam hoc Sacramentum nullum habere effectum ex opere operato, quia nondum est Sacramentum, licet fiat.

Ex quo inferit, Confessionem, cum prius sit omnino absoluta, quam perficiatur, immo quam inchoetur Absolutio, per se ipsam proximè & immediatè non efficere (loquitur in sententia, quae Sacramentis tribuit causalitatem physicam) quia cum est effectus, iam ipsa non est; & ita solum denominabitur efficere ipsum totum, quod constat Confessione, & Absolutione, quamvis reverà efficacia procedat ab Absolutione immediatè, sicut etiam tota forma dicitur efficere, quamvis tantum efficiat secundum ultimam sui partem.

Satisfactio etiam, quae tempore est posterior, quam Absolutio, non potest per se immediatè concurrere ad gratiam, quae data est tempore Absolutionis; efficit tamen remissionem poenae temporalis, quam ex opere operato confert: sed illa tantum potest esse moralis efficientia, non physica, quia haec poenae remissio nihil physicum ponit in homine; sed moraliter tantum fit. Si autem ratione Satisfactionis datur aliqua gratia ex opere operato, illam posset haec pars propriè & per se efficere, quid autem in hoc sentiendum sit, dicam infra in materia de Satisfactione.

Solum ergo potest esse quaestio de Contritione, de qua, si tempore antecedit Absolutionem, eadem ratio est, quae de Confessione; si verò simul concurrat cum ipsa Absolutione, probabile est habere Sacramentalem efficientiam ex opere operato; & de hac potissimè loquitur D. Thomas. Hucusque Suarius n. 14. & 15.

Sed quæro ego; quo fundamento id est probabile? Non nihil faveat, inquit n. 13. Concilium Trid. supra, dicens, præcipuam vim huius Sacramenti positam esse in forma; iudicat ergo aliquam vim esse in materia. Et argumentum sumi potest ex aliis Sacramentis à paritate rationis. Ecce tota probatio, exceptà auctoritate D. Thomae, & aliorum Doctorum, quos ibidem allegat.

Quidquid sit de auctoritate D. Thomae, & aliorum Doctorum, cui opponimus auctoritatem Scoti, & omnium Scoticorum, bene dicit Suarez: *Non nihil faveat Tridentinum; quia commodè explicari potest, ut supra vidimus, de vi aliqua ex opere operato, non respectu gratiae seu remissionis culpae; sed respectu remissionis poenae restantis; vel de vi aliqua ex opere operantis, seu opere applicante, simili illi, quam habet applicatio causae, v. g. ignis, respectu combustionis ligni. Ad eoque locum hic habere posset commune dictum: Quod parum est, pro nihilo reputatur.*

Venio ad argumentum, quod sumi potest, secundum Suarium, ex aliis Sacramentis à paritate rationis. Et quæro, remissio culpae fit in Baptismo virtute ablationis subsequenter formam? Nemo dubitat. Quæro rursum, Contritio aut Confessio, subsequens formam Absolutionis, causat remissionem culpae ex opere operato? Nemo audeat asserere. Quare non, quandoquidem, secundum Suarium, possit sumi argumentum ex aliis Sacramentis à paritate rationis?

Hoc igitur est signum manifestissimum disparitatis rationis inter materias aliorum Sacramentorum, v. g. Baptismi, Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Ordinationis, quae intrinsecè & essentialiter componuntur ex materia & forma, & materiam Sacramenti Penitentiae, quod Contritio & Confessio necessariò præsupponantur formae Absolutionis; ablatio autem, unctio, traditio instrumentorum, & si sequantur, siue præcedant formam, eandem habent vim ex opere operato in ordine ad remissionem peccati, aut collationem augmenti gratiae sanctificantis.

Itaque Contritio & Confessio, sunt tantum aliqua prærequisita, veluti intentio ministris, aut suscipientis Sacramentum, & alia plura, ut forma subsequens possit Sacramentaliter significare. Materia autem propriè dicta, seu intrinseca & essentialiter componens, perinde est siue præcedat, siue sequatur formam, dummodo moralem aliquam inter se habeat connexionem.

Ex quo confestim solvitur aliud argumentum contra nostram doctrinam, quod delimitur ex Concilio Florentino in Decreto Eggenii Ad eum ibi: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.*

Et Concil. Trid. sess. 14. c. 2. in principio: *Ceterum hoc Sacramentum (Penitentiae) in multis à Baptismo differre dignoscitur: nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramentis essentia perficitur, longissimè distat &c.* Ergo, inferunt Adversarii, Sacramentum Penitentiae perficitur materia & forma: Non aliâ materiâ, quam Contritione, Confessione & Satis-

Satisfactio; ergo actus pœnitentis, jam enumerati, sunt materia intrinseca.

Respondeo neg. ultimam Conseq. Nam, ut liquet, constat ex verbis Florentini, etiam personam Ministri perficitur Sacramentum, non ut parte essentiali & intrinsece componente; sed ut causa extrinseca. Et quæ clarior instantia, quam Satisfactio, quæ est materia seu quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ, ut ambo Concilia docent, & requiritur ad plenam & perfectam peccatorum remissionem juxta Concilium Trid. & tamen non est materia essentialiter & intrinsece constituens hoc Sacramentum? Vide quæ diximus de hoc argumento disp. 1. sect. 3. concl. 7.

Argumentaris rursus: tres isti actus sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, sed non sunt partes Absolutionis sacramentalis; ergo ipsa sola non est Sacramentum Pœnitentiæ; sed compositum quoddam ex illis actibus, & Absolutione.

Respondeo; Concilium Florentinum non vocat illos actus partes Pœnitentiæ, sed, inquit, *quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres partes distinguuntur.* Unde sunt partes non ipsius Sacramenti, sed quasi materiæ Sacramenti.

Quando autem Tridentinum vocat illos actus partes Pœnitentiæ, per Pœnitentiam non intelligit præcisè Sacramentum Pœnitentiæ; sed totum judicium Sacramentale, quod præsupponit consistit in Contritione, Confessione & voluntate satisfaciendi; formaliter in sententia Judicis, id est, Absolutione; & consequentivè in actuali Satisfactione. Et verò si placeat totum illud compositum morale vocare Sacramentum, eo quòd aliqua illius pars significet, & causet gratiam in opere operato, per me licet, propterea nihil mutabitur in re.

Cæterum si à me quæritur, an ergo Sacramentum Pœnitentiæ non constet aliqua materia intrinseca? Respondeo, duplicem posse considerari compositionem in Sacramento. Prima est ex signo & significatione; nam in omni Sacramento invenitur id, quod assumitur ad significandam gratiam, & ipsa significatio seu institutio ac potestas significativa, & in hoc sensu Sacramentum Pœnitentiæ habet materiam intrinsecam. Et quæ illa? Verba Absolutionis, quæ à Christo assumpta sunt & instituta ad significandam, & efficiendam remissionem peccatorum.

Alia compositio potest considerari in ipsa re, quæ assumitur ad significandam gratiam, & efficiendam; v. g. in Baptismo, res significans & efficiens, componitur ex ablutione tanquam materia, & verbis: *Ego te baptizo* &c. tanquam formam. Et secundum hanc considerationem, in sententia Scoti, Sacramentum Pœnitentiæ non habet materiam intrinsecam, quandoquidem sola forma Absolutionis significet, & efficiat remissionem peccatorum ex opere operato; quamvis ut efficiat, requirantur actus pœnitentis, qui idcirco dicuntur partes Pœnitentiæ, non intrinsece componentes; sed extrinsece circumstantes; ut sic loquar.

Meminerunt autem Concilia materiæ extrinsecæ, quia notitia illius planè necessaria erat ad instructionem ministri, & pœnitentis, seu suscipientis Sacramentum, cum sine his nec suscipi possit, nec ministrari, ut in progressu manifestius apparebit, quando de singulis actibus, Contritione videlicet, Confessione, & Satisfactione singillatim disputabimus. Quod antequam aggredior, explico formam, quæ est præcipua pars, si non tota essentia, hujus Sacramenti.

96.  
An Sacramentum Pœnitentiæ non constet aliqua materia intrinseca?

97.  
Quare Concilium Florentinum non meminit materiam extrinsecam?

## SECTIO TERTIA.

### De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

**F**orma Sacramenti Pœnitentiæ, si non tota essentia (ut existimat Scotus, & nos cum illo docuimus sect. præcedenti concl. 3.) saltem communis calculo est pars essentialis ejus, idque præcipua, quemadmodum forma physica, est pars essentialis, & præcipua compositi physici. Nec mirum, cum, teste Concilio Trid. sess. 14. c. 3. in forma præcipuè vis hujus Sacramenti sita sit.

Si dixeris; hoc Sacramentum vocatur Pœnitentia. Respondeo, etiam appellatur Absolutio & reconciliatio; Pœnitentia quidem à parte materiali, aut quasi materiali, veluti

Baptismus denominatur ab ablutione, & Confirmatio solet dici Chrisma; Absolutio verò & reconciliatio à parte formali.

Arguis rursus; Concilia tantum enumerant tres partes Pœnitentiæ. Respondeo, materiales vel quasi materiales: *Quasi materia, inquit Florentinum, sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes.* Similiter Trident. postquam divisit quasi materiam hujus Sacramenti, in Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, docet quâ ratione illi actus dicantur partes Pœnitentiæ; quatenus videlicet in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur.

l i i 2 Hinc

2.  
Alia obiectio solvitur.